Henrik Ter Borch.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ

ΘΡΗΝΩΔΙΑ·

In qua perturbatissimus REGNI & ECCLESIÆ status, Sub *ANABAPTISTICA* Tyrannide, lugetur.

Dictante JOHANNE GOUGH S. Th. D.
Coll. B. *Ma. Magd. Oxon.* quondam Socio,
Vicariæ Sti. *Stephani* juxta *Cantuariam*
nuperrime restituto.

Mic. cap. 7. ver. 8, 9, 10. Vulg. Translat.

Ne læteris inimica mea quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ejus.

Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicet ad me, Ubi est Deus meus?

LONDINI, *M. DC. LXI.*
Typis *W. G.* & prostant venales apud *Rich. Thrale* ad Insigne *Clavium Transversarum* in Cœmeterio *D. Pauli.*

Books newly Printed, and are to be sold by *Richard Thrale* at the *Crosse-Keyes* at St. *Pauls Gate* entring into *Cheapside*.

AN *Apology for the Ancient Right and Power of the Bishops, to sit and vote in Parliaments, as the first and principical of the three estates of the Kingdome*, as Lord *Cook* sheweth, 3. *Institut. c.* 1. and other both learned Lawyers and Antiquaries, as *Cambden*, *Spelman*, *Selden*, and many others; with an Answer to the Reasons maintained by Dr. *Burgesse*, and many others against the Votes of Bishops. A Determination at *Cambridge* of the Learned aud Reverend Dr. *Davenant* Bishop of *Salisbury*, Englished. The Speech in Parliament made by Dr. *Williams* Lord Arch-bishop of *York*, in defence of the Bishops. Two Speeches spoken in the House of Lords, by the Lord Viscount *Newark*.

The *Most Accurate History of the ancient City, and famous Cathedral of* Canterbury: Being an Exact Description of all the Rarities in that City, Suburbs and Cathedral; together with the Lives of all the Arch-bishops of that See, illustrated with divers Maps and Figures, published by *William Sumner*.

A Breviate of our Kings whole Latine Grammar, vulgarly called *Lillies*, (analytically disposed) or a breif Grammatical Table thereof, to facilitate the Apprehension, strengthen the Memory, and to increase the benefit of young Learners, made for the use of all Philologists, by the labour and pains of *Jos. Brookbank*.

Manchester al Mondo. Contemplatio Mortis & Immortalitatis. A Contemplation of Death and Immortality. The seventh Impression much inlarged with the Latine Sentences rendred into English.

The

The *Mirrour which flatters not*, *concerning the Contempt of the VVorld*, or *the Meditations of Death*, of *Philip* King of *Macedon*, *Saladine*, *Adrian*, and *Alexander* the Great: by *Le Sieur de la Serre* Historiographer of *France*, transcribed into *English* from the *French*, by *T. Gary* Esquire.

An *Antidote against Immoderate Sorrow, for the death of our friends*; taken from an assured hope of our Resurrection to Life and Glory. Delivered in a Sermon, Preached in the Parish Church of *North-wraxall* in *Wiltshire*, the 12. of *April* 1660. at the Funeral of Sir *VVilliam Button* Baronet, by *Francis Bayly*.

The Strong man ejected by a stronger then he: In a Sermon preached at *Gloucester*, *May* 15. 1660. being the day his Royal Majesty King *Charles* the second was proclaimed. By *W. Bartholomew* M. A. Vicar of *Campden* in *Gloucestershire*.

A Sermon prepared to be preached at the Funeral of *Walter Norbane* Esq; by *William Haywood* D. D. and one of the Chaplains in ordinary to his late Majesty of glorious memory.

Virgilii Evangelisantis Christiados Libri 13. *in quibus omnia quæ de Domino nostro Jesu Christo in utroque Testamento, vel dicta vel prædicta sunt, altisona divina Maronis tuba suavissime decantantur, instante* Alexandro Rosseo *Aberdonense*.

Carminum Proverbialium totius humanæ vitæ statum breviter delineantium, nec non utilem de moribus doctrinam jucunde proponentium. Loci Communes in gratiam juventutis selecti.

The Works of that famous Physician Dr. *Alexander Read*, Dr. of Physick, and one of the Fellows of *Physicians* Colledge *London*. Containing Chyrurgical Lectures of Tumors and Ulcers.

2. A Treatise of the first part of Chirurgery, which teacheth the reunition of the parts of the Body disjoyned, and the methodical doctrine of Wounds.

3. A Treatise of all the Muscles of the body of Man.

The Manuel of the Anatomy of the body of Man; containing the Enumeration and Discription of the parts of the same, which usually are shewed in the publick Anatomical Exercises, with sundry Figures, by Dr. *Alexander Read*.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ

ΘΡΗΝΩΔΙ'Α.

In qua Perturbatissimus REGNI
Et ECCLESIÆ *Statut*

Sub ANABAPTISTICA *Tyrannide Lugetur.*

1. O Præcordia mea! Quantis undique obsideor angustiis? Intumuerunt viscera mea conturbata, & præ terroribus tumultuantur, contremiscunt ossa, colliquatum est cor meum mæstum in memetipsa, sensuum organis vellicor, tinniunt aures, oculi præ dolore obtenebrati, largos Lachrymarum effundunt imbres, miserè afflictatur animus, timore absorbeor, & omnis vis mea diffluit super contributionem populi mei.

2. O me infelicem! Quam multa sunt quæ timere debeam, quocunque animum aut oculos converto, nusquam non occurrit insignis quædam species atque imago calamitatis, excrucior, enecor, & doloris magnitudini me imparem fateor, totquot jacturæ magnitudo, vexat indignitas, ubi respirem? ubi claudam gemitus? ubi sumam solatium?

3 Prorsus nunc de me actum est, funditus concido, & variis ærumnis conflictata, velut animal

quoddam ægre moriens, sic ego spiritus mei reliquias cogo & contraho.

4. Ah pectus meum ut palpitas? mens mea, nubilo mæroris obscurata, ut vacillas? O acerba reputatio calamitatis meæ ut recursas? quales lanienas, quales cruciatus pateris penetrale meum?

5. In luctu & squalore incedo mæsta, medullitus dolens, & intimis cruciatibus tabescens, largis ora fletibus rigans, cruore stillans, scissam vepretis in fuga pallam trahens, per loca aspera nudo pede errans, deserto avio sola jam relicta desertior ipsa.

6. Totam me malis circumdari, ac terreri sentio; solatia omnia mihi abdita sunt, & oculorum obtutum fugiunt, adeo projecta sunt, interierunt, concisa sunt omnia, ut renuat consolari anima mea.

7. Consumpti sunt longo squalore vultus, concretæ super ora noctibus diebusque Lachrymæ, potus meus cum fletu miscetur, & confusio ante oculos meos, ruborque in genis meis, tota tabesco, tota displiceo mihi, omnis spiritus attenuatur; quicquid habui virium vanescit, omnis me jucunditas dereliquit, tristitia amplexa est.

8. Ingemisco ego & non est qui consoletur, nihil est quod mihi medeatur, non sermo, non amicus, non propinquus, non monitor, non doloris socium se præbens, non res suas adversas exponens, non vetera commemorans, non presentia cum illis comparans.

9. Me miseram! quantum perfero laborem dum tam magnam foveo tristitiam, & animus meus luctus suos sequens, incipit indulgentiam sentire Lachrymarum? Quotidie vincor, assidue mecum rixatur affectus

affectus, tota in mærorem resoluta omnia vitæ blandimenta fastidio, Odi lucem, respuo cibos, haustus, & vitam ipsam pudore fugio, consumpta est in precibus ætas, exacti sordibus dies, anxietate noctes, lux fatigatis luminibus gravis, vox sola de gemitu, anhelat spiritus, & assiduis planctibus reverberata vitalia.

10. Satiasti me vita, satiasti, & cum fœlicibus veniet ex nimia prosperitatis continuatione fastidium, quod tædium paras lassitudine miserorum?

11. Fateor equidem totum hoc lugubre fœmineum esse, causam autem planctibus jam agam, flere enim certe per legem licet. Quid ais rerum naturæ pietas? ubi sunt qui cito jubeant stare Lachrymas? quibus non placet longum agere mærorem? Quis orbitatem non permittit satiari gemitu; & pro arbitrio mærorem agere? Quis me arguat impatientiæ quam religio læsa, templa diruta, corporum & animarum damna, facultatum tristis eversio, captarum civitatum vociferatio, & ruentis patriæ fragor concitarunt?

12. Hæc omnibus natura est, ut sua cuique calamitas præcipue misera & intoleranda videatur; luctibus suis quandam quisque credit accedere dignitatem si miserrimus agnoscatur: inter omnes autem hoc constet necesse est, infelicitatem meam cæteras supergressam, quid enim passa sum tam leve, ut non comparatio mei felices aliorum miserias faciat? quæ comparata nostris mala Lachrymas non habent delicatas?

13. Fecit enim Deus quæ cogitavit, complevit Sermonem suum quem præceperat a diebus antiquis, destruxit & non pepercit, & lætificavit super me inimicum meum.

14. Satiavit me Jehova summâ amaritudine, inebriavit me absynthio, adeo rejecit a pace animam meam, ut oblita sim mei, & dixerim periit robur meum, & spes mea a Jehova.

15. Ecce enim sacerdotes mei, & senes mei, in urbe consumpti sunt, sanctæ aræ suæ minime pepercit, repulit altare suum, & non avertit manum suam á perditione, luxitque ante-murale, & murus pariter dissipatus est.

16. Perdidit & contrivit vectes ejus, & regem ejus, & principes ejus, & occidit omne quod pulchrum est in Tabernaculo filiæ *Sion*; Una cum sacerdotibus, urbem sanctificationis & Cherubim gloriæ, & stolam, & prophetiam, & unctionem, & Urim & Thummim in conculcationem, & contaminationem gentibus addixit.

17. Quam vellem taciturnitatis velo posset obumbrari conceptus intimis meis sensibus dolor, qui consultius premeretur silentio? Omnis enim indignatio in tormentum suum proficit, & mala graviora quis sentit, quó contumacius patitur. Sic laqueos fera, dum jactat, astringit, sic aves viscum dum trepidantes excutiunt, plūmis omnibus illinunt, nullum tam arctum est jugum quod non minus lædat *ducentem* quam repugnantem; unum est levamentum malorum ingentium pati & necessitatibus suis obsequi.

18. Quamvis autem recondita altius magis gemerem, & ingestos quotidie luctus callo quodam obstinatæ patientiæ studerem sustinere, confessus est se inconsultior dolor & male clausi signa mæroris per vultus indices exierunt.

19. In

19. In hoc publico luctu cum lachrymas meas, quibus largiter indulsi, pellere quærerem, non mihi tam ferreum & munitū pectus dedit Deus, ut possem magnitudinem jacturæ dissimulare, aut non omnes dolori habenas laxare; Tam alte scilicet vulnus adactum est ut silentio & dissimulationi non sit locus, nec in mea est potestate acceptarum cladium aut oblivisci aut tacere.

20. Afflicto, & magnum vulnus male ferenti paulisper cedendum, ut exsatiet se, aut certe primum impetum effundat. Habet enim pietas impetum suum, nec ullum Dominum novit affectus, nec ille me potuit retinere ne flerem, sed justa indignatione mota in has voces irrumpo, nec jam præ spiritus æstu cohiberi possum.

21. Admitte itaque preces meas O sponsor meus, excipe lamenta, da accessum lachrymis, ad gemitus ejulantium aures non habeas occlusas, O fons bonitatis! O sublime præsidium! O altum firmamentum meum!

22. Sine me, in causa tam justa, tam necessaria dolori meo indulgere, lachrymarum vim effundere, & in ejulatus & querimonias meo arbitratu debacchari. Has ad te voces emittam, partim ut Dominum invocans, partim vel apud benignum & facilem patrem conquerens, partim velut exprobans & expostulans, ut solet qui in dolore versatur.

23. Non enim futurum erit, ut perpetuo taceam, neque per decreta ulla, silentio me ulterius mulctari sinam, sed liberam tandem vocam emittam, quæ hujus sæculi probra monstrabit; ut scilicet nec cataractæ Nili ulla arte inhiberi possint, nec solis radius, tametsi nube aliquantisper obducatur; sic

nec Linguæ meæ vincula injici res hodiernas insectanti.

24. Quanta autem opus est indignatione? quam turgidis, & grandibus verbis uti debeo, vt mala nostra ingentia pro dignitate explicarem?

O si vires sufficerent, latera durarent, aliquid ex aridis diu faucibus exiret; Cum mihi infestæ illæ & funestæ faces, universumque totius regni, & Ecclesiæ incendium; Cum civium cruor, & cinis patriæ ante oculos versari atque animum memoria refficare cœperat, quomodo non exirent verba, subsequeretur sermo non alligaretur lingua, quin publica mala narrarem, & Miseriis nostris convitium facerem?

25. Quis mihi det ut ex edita quadam & mediterranea specula sublimi prætonio exclamem sic ut omnes mortales exaudiant, & per singulas terrarum oras, ubi virtus aut religio colitur, eorum quæ jam patrantur fama pervolutet? Quis mihi Herodoti aut Thucydidis otium linguamq; suppeditabit, ut hujus ævi improbitatem tempori tradam, & ejus historiam, quasi in columna insculptam, posteris relinquam?

26. In tanto autem animi motu rem ordine narrare non sustineo. Non comptam orationem expectet quisquam, sed abruptam, qualem edere solet gemitus, non dicendi artificium, sed suspiria & singultus meros ab Ecclesia misera & tanta clade afflictata. Non enim cadit in formulam publicus dolor, nec impetus iræ in digitos descendit. Ego equidem sic statuo, a me in hac causa pietatis potius quam defensionis, querelæ quam eloquentiæ, luctus quam ingenii partes esse susceptas, Sin res hodiernas non satis videantur explicare verba, ad fidem ego doloris confugiam.

27. Sed

27. Sed si justum ponamus calculum, inconsulta est hæc pietas & doloris nostri querela. Quid enim humili & privato luctu publicam parentem prosequimur? Cur quam universi amant, non etiam lugerent universi? Ita solet grande pullatorum agmen honestiorum sequi funera: & parum pie effertur qui solis filiorum lachrymis honestatur.

28. Huic itaque luctui concelebrando (cum non satis domi ejulatus & planctus habeamus) hem! citemus vos imprimis Cœlestes potestates, divinæ majestatis satellitium, O Chorus sancte, O sacer ordo, O constipatum & infractum agmen, O Communes generis humani Custodes, boni curarum socii, Orationis cooperatores, legati potentissimi, Stellæ terrarum Orbis, Ecclesiarum denique flores: & protectores; adeste omnes, ne vos pigeat huic luctui interesse: Si vobis gaudium sit super uno peccatore converso, quomodo vos non magis misereat Ecclesiæ tot calamitatibus oppressæ?

29. Vos etiam sancti cœlites, beatorum cœtus & Empyreæ sedis incolæ, qui, vitâ hâc feliciter functi, inexplicabili gaudio delibuti estis, coronis laureati, candidis amiculis insigniti & gloriæ simul & morum similitudine angelificati; per sacrum vos obtestor natalium nostrorum venerandumque consortium, per socias quondam peregrinationes, per adversa communia, lamentabilem hanc mundi faciem respicite; Si non adjutores saltem spectatores calamitosis estote. Nimirum umbræ fœlices tranquillitatem amant animorum quoniam ipsæ in tranquillo sunt, delectat illas ex alto bona nostra animadvertere; nonne igitur contumeliam fortunæ vestræ facitis, si mala nostra dispicietis? In eodem

enim oceano vosmetipsi quandoque velificastis, eosdem nimbos & tempestates pertulistis, eosdem ecnephias, & Typhones immanium calamitatum experti estis, iisdem in syrtibus scopulisque hæsistis, quod, salva rate, horum malorum gurgitem tranatastis, &, mirâ nūminum ope, e tanto naufragio erepti estis (si beatudini vestræ non sit contraria condolentia) de vestra salute securi, de nostrâ etiam estote soliciti, iisdem in fluctibus nos vitam anhelantes intuemini, & sicut ejusdem mystici corporis membra, quæ sibi invicem compatiuntur, pro vestra erga nos benevolentia, qua tangi soletis, oculos in nos miseros retorquete, Beatificam Visionem paulisper supersedete luctificam facite, gloriâ vestrâ vacate, & doloribus nostris aliquatenus condolete.

30. Adeste, cis cœlum, omnes quotquot Deum amatis, omnes Christi Filii, ac Sanctæ Dei Ecclesiæ liberi, omnes γνήσιον Angli, quibus cordi est regni & Ecclesiæ prosperitas. Vos præcipue Cleri mei miserrimis modis vexati, domesticis pulsi laribus, fortunis exuti, Vos qui fortes ac stabiles ad maximi certaminis prælium prodistis, qui, instar aviculæ in montes, in saltus, in sylvas, refugii causâ migrastis, aut in nidulum aliquem, ad gemendam & lamentandam Ecclesiæ sortem, secessitis; quibus ego vos laudibus prædicem? Robur pectoris vestri, & perseverantiam fidei quo preconio vocis exornem? Hujus estote vos præcentores chori, gemitibus nostris aggemite, jungamus fletibus fletus, lachrymas lachrymis misceamus; Festinate ad complorationem præsentis doloris animæ festinate, Coire in funus, custodite planctus meos, observate suspiria. Vos publica vice rogem, ac solenni precationi

ione obstringam, ut indiscretus sit vestrum ab utroque latere comitatus, ut par flebile & mutuæ pietatis officia conferamus. Humeros vestros jam posco quibus incumbam, manus quas eliso pectori meo apponam, sinus in quos egeram exhaustarum reliquias Lacrymarum; Miseræ matri assidete, obstupescite, attoniti adstate, oculos dimittite, responsa cum lachrymis tantum gemituque reddite, cum diu autem, collatis singultibus, lassas miscuerimus sine voce lachrymas, tandem aliquando, spiritu in paucissima verba collecto, sit iter querimoniæ laxatum. Altius autem tum gemitus, altius querela repetenda est, si universi enim qui adsumus conclamaremus & tota concio in unam vocem consentiret, non esset tamen futura par sceleri invidia.

31. Vos quoque vicinæ & conterminæ gentes quibuscum & bona & mala nostra miscet vicinia, Spectate Angliam! vel bustum potius Angliæ, aspicite gentem sæva tyrannide pressam, omnibus præsidiis orbatam, & exitio, tantum non ultimo destinatam. Sicut mea pridem gloria orbem terrarum est pervagata, ita & inexhaustus hic mæror ad plerasque gentes ac nationes pertineat. Rogo vos, si angustus saltem detur accessus per quem intrare humanitas possit, calamitatis nostræ penitus velitis æstimare mensuram; Reputate vobiscum num quicquam truculentius, multis ab hinc annis, mortales oculi viderint, Cogitate quantis luctibus, & quærelis hæc digna sunt, non modo nobis qui patimur sed & vobis etiam qui nunc *spectaculum auribus* usurpatis. Novi equidem quam felicibus difficilis sit miserarium sensus & alienum casum quam facile despiciat securus sui, putate autem hanc pietatis partem ad vos pertinere,

nere, & summam vos facere fortunæ vestræ contumeliam si nos negligitis, Quod nobis datum est maleficium, vobis putate esse exemplum, nobiscum discite metuere Deum, & malis nostris illachrymate, saltem non exprobrate, dum vobis præbemus atrox & lugubre spectaculum.

32. Nec vos tantum sed & quantum est hominum quibus ulla humanitatis mica suppetit, nostris vota & querelas vestras adjungite, & preces hasce, si non cultas & comptas, veras tamen & sinceras nobiscum offerte Deo miseratori nostro.

33. Imò & vos omnes Filii mei, quamvis degeneres, horum motuum authores præcipui seditiosorum antesignani, (nullam enim classem ab hac mæsta celebritate abdico & propello, nulli impii ab hoc tristi conventu proscribendi) in medium tandem & vos prodite, procidite & deplorate, timete Dominum non sancti modo, sed & multo magis scelere cooperti, exhorrescite ad divina judicia, rubensque fulmen, & vibrantem jam manum in funestum impiorum exitium armatam. Agite vos, imprimis, pœnitentiam plenam, dolentis, ac vere lamentantis animi probate mæstitiam. Orare vos oportet impensius, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, strato solo adhærere in cinere, & sordibus volutari, & tempus quod superest lachrymosis lamentationibus occupare; nec vos quorundam moveat error improvidus, aut stupor vanus, qui, injuste sibi placentes, & transpunctæ mentis alienatione dementes, teneantur licet in flagranti crimine, mira tamen animi cæcitate percussi, delicta sua nec intelligant nec plangant.

34. Rebus

34. Rebus etiam *inanimiatis* luctum impero, & muros ad lachrymas invito, meum enim casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum, non solum Homines plangerent, sed & saxa, tecta, templa precarium spiritum optarent, ut aliquo saltem nutu ad communionem publici luctus admitterentur.

35. Quis, modo sanæ mentis, præsentem rerum statum non deploret, qui fletum etiam inimicis eliceret? quis ingentem animo dolorem non concipiat qui Christianum nomen præ se fert, nisi animum gerat Marpesiâ caute duriorem & præcordia plus quam quercino robore, & triplici ære circumvallata? Quis enim sic durus ac ferreus, quis sic fraternæ charitatis oblitus, qui inter suorum multi-formes ruinas, ac lugubres ac multo squalore deformes reliquias constitutus, siccos oculos tenere prevaleat, nec erumpente statim fletu prius gemitus suos Lachrymis quam voce depromat?

36. Quare audite gentes, audite populi, audite filii, non solita luctum nostrum corona circunstet, sed, si patiatur natura rerum, totus ad cognitionem talis exempli orbis circumfluat.

37. Venite, inquam, omnes ad solennitatem, vigeat luctus, communem planctum constituite, sit tota Christi familia, mutatis vestibus, in situ & squalore posita, demissis frontibus, obnupto capite, magnos vultu gemitus præ se ferat, sed multo majores animo tegat, supplices manus Deo tendat patria communis; & postquam universum repurgavimus, corporibus atque animis, quoad fieri poterit, purificatis, voceque una assumpta atque uno eodemque spiritu concordes redditi, lugubre illud carmen canamus,

Ne

Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris, parce Domine, parce populo tuo quem redemisti pretioso sanguine tuo, & ne in perpetuum irascaris nobis.

38. Zelo Dei flagrantes, & justissima ægrimonia æstuantes, extremum limen, & ultimam mansionem inquirite, in lachrymis animas possidete, & habenas iis dimittite, oculorum flumina effundite, & eorum fontes irriguos jugiter emanantes exposcite, Vos lachrymæ, dicite, vos extremi doloris subsidium lachrymæ, omnes sinus effundite, omnes aperite, gregatim salientes, ingentem & interminam vobis effluendi materiam. Cinere capita vestra quassata aspergite, ciliciis vos accingite, manibus ad genua complicatis, non in vacuum & leviter sparsis, sed ad cœlum effusis suspiriis clamate, & calidos ab imo & anhelo pectore gemitus queruli trahentes magnâ emissâ voce ejulate.

39. Sit tincta felle, & velut absinthio imbuta oratio, ægre manantes ex oppressis angore pectoribus querimoniæ Sponsi aures propulsent, semper oculis obversetur, & intimis præcordiis hæreat, & æternum *sit hæsura* hodierna Ecclesiæ Anglicanæ deploranda facies.

40. Ah quoties ad Dei templum accedam? quoties cancellis manus injiciam? tum altare circumibo, pretiosissimum pavimentum lachrymis perfundam, O quoties fidem ejus, potentiam, justitiam, gloriæ zelum appellabo, nec prius abscedam quam januam misericordiæ ejus thronumque gratiæ osculata fuero.

41. Quid autem omnia hujus temporis mala tragicâ oratione tam longâ, tam alte repetitâ persequi attinet?

attinet? Quis tam potens fandi, cujus dicendi copia tam larga, quæ cum calamitates nostras attigerit, earum numero ac magnitudine superata, desperato exitu non stupeat? Innumerabiles me certe indignandi causæ strangulant, nec dicere universas semel possum, nec gregatim erumpentes gemitus deferre, levior est enim dolor qui disponitur.

42. Cur autem ante omnium oculos ponere studerem quanta jam calamitatum abyssus Angliam inundavit? quam gravibus afflictionibus premitur & duris jactatur *calamitatibus?* Fœlix ille qui hæc non vidit, fœlix qui hæc non audivit, imò miseri nos, qui hæc & vidimus & audimus & patimur. Horret certe animus in hæc latifundia exspatiari, & immania facinora, quæ haud ita pridem edita sunt stylo signare, qualia vix tota temporum series vidit quamdiu homines extiterunt. Vos obtestor omnes Ecclesiasticæ & exoticæ historiæ periti, annales revolvite, & antiquitatis ultimæ replicate memoriam, & dicite mihi ecquid in omnibus retro seculis inveniri possit usque adeo fædum & horrendum, quod a nostrorum scelere longo intervallo non relinquatur? Deum! Hominem! Cœlum! Terram! mortales omnes viventes & in posterum victuros, seculum hoc & futura omnia, ad ærumnarum mearum, & hostilium scelerum æquam æstimationem appello.

43. Sentio autem querelas omnes in ventum abituras, cum me servatam videam in recentes luctus, & de præsentibus in vanum me conqueri, cum de futuris quid timendum sit nil certi constet. Multum enim jam pœnarum dedimus, tot bellis attriti, tot exactionibus exhausti, tot portentis è cœlo minitantibus perterriti, nec inter tot tantaque mala per-

inde novis lacessentibus ullus omnino portus apparet sed atrociora nobis videntur impendere.

44. Hæc autem quomodo silebo? Quomodo pro dignitate lugere queam? quo modo quibusve verbis dolores leniam non habeo. In iis exponendis quid primum exequar, quid deinde, quid postremo prorsus nescio; video certe dira mihi minitari hostem Christiani nominis perpetuum, nec minora dehinc expectanda quam quæ jam jam perpetrantur flagitia.

45. Exploremus autem ordinem, quoad fieri potest, cladis nostræ, & simplici omnia stylo indicemus, in quibus recitandis si acrius, & liberius, agere velim, a lectore peto ut tantum orationi meæ concedat, quantum & pio dolori, & justæ iracundiæ concedendum putet, neque enim officio conjunctior dolor quam qui hic suscipitur, nec iracundia magis ulla laudanda quam quæ me inflammat.

46. Heu quanta tripudia hosti communi, quanta ludibria Ecclesiæ Catholicæ veræ dissidia nostra subministratunt? Quam tumultuosum drama in theatro hoc nostro exhibetur, spectantibus cum gemitu filiis, summa autem cum voluptate adversariis, Heu quantam risus materiam præbemus illis, & quantum in sinu eos gaudere facimus? Dum vident furorem nostrum satellitem esse cupiditatis suæ, & quod nulla vi externâ, quantumlibet conglobata, perfici potuit, hoc nos nostris manibus præstare, ut scilicet, proprio nostro marte, & vincamur & cadamus & extinguamur.

47. Improperium nostrum & confusio nostra in conspectu omnium, ignominia oppleti, rerum humanarum exemplar, & tristis historia facti sumus, vicinis

vicinis nostris opprobrium, risus populi, fabula gentium, vulgi ludibrium, miserabile spectaculum, & tantum non ipsis qui fecerint miserandum.

48. Omnes inimici spectarunt malum meum & læti sunt, plauserunt super me manibus omnes transeuntes per viam, aperuerunt os suum, sibilaverunt, & moverunt capita sua, fremuerunt dentibus & dixerunt, devorabimus, En ista est dies quam expectabamus, invenimus, vidimus. Eo prolapsi sunt impietatis ut nostra Deum non curare & cogitent & impudentissime asserant, & nunquam majoribus tubis canant quam cum urgent eversam esse causam nostram, nec spei quicquam superesse ad eam tuendam.

49. Quis ferre potest eorum mutuas gratulationes, epulas, ærarii publici partitionem, spem, promissa, prædam, lætitiam paucorum in luctu omnium? Dum cernunt secundas res suas, & diuturnam impunitatem, dum vident omnia sibi prospere, & ad votum succedere, non dubitant, Fanatici, quin Deus ἀπὸ μηχανῆς mirum in modum ipsis apparuerit, & cœlum a partibus eorum steterit. Et quia, O Deus noster! Manum contines telum vibrantem, jamque ad feriendum paratam, quia carnale brachium superbius se adversus teipsum efferens fulmine tuo non statim evertis, putant te aut nescire impudentium homunculorum insaniam, aut punire nolle, aut, quod adhuc pejus est, approbare.

50. Hinc adeo sunt superbiâ elati, & furore accensi, ut omnia tam divina quam humana jura, suæ libidini obnoxia, pari supercilio & æquali contemptu ludibrio habeant; Hinc contra te infandas loquuntur contumelias, & infracto collo jugum verbi tui a se repellunt

repellunt, hinc ferrea fronte arietant in Deum, immensum ejus furorem lacessunt, divinæ iræ obliti, rapi se sinunt ad perditissimum vitæ genus, & turpitudine vitiorum pectus suum indigne commaculant.

51. Heu quot profanæ divisiones, alienæ dissectiones, quot dissidentium inter se opinionum monstra, quot circumforaneæ sectæ contra fidei unitatem hodie subortæ? Quot horrendis rixis patriæ & Ecclesiæ viscera laniata? Quam vecors quidam spiritus totum corpus exagitavit, & membra secum singula intestino dissidio commovit? Contagio ista, quæ non ita pridem exteras tantum regiones infestavit, ad nostras quoque oras infeliciter appulit. Nimirum & apud nos quoque hodie Christi veritas intus & extra graviter oppugnatur; Qui charitatem olim colebamus, nunc mutuis odiis flagramus, qui pacem, implacabile, & inexplicabile bellum gerimus; Unitatem nostram antiquam dira partium studia discerpserunt, adeo ut laxatis habenis internecino bello, mutuo collidentes, tandem infestis animis in mutuas cædes & lanienas irruamus.

52. Armantur Sacerdotes in Sacerdotes, plebs in plebem furibundo impetu fertur, & vel vulgus Christianorum utrinque ad partes & pugnas vocatur. Fragoribus crebris omnia quatiuntur, contentionum ignes hinc atque inde micant, litigamus, in rixam procurrimus, &, morem iræ gerentes, in mutuam perniciem anhelamus.

35. Circa negotium religionis Christianæ divinum, & humano captu longè superius contentiones affectamus, animis dissidemus, Sacrilegâ ambitione

ione & cæco quodam pietatis zelo tanquam furore Bacchico agitamur, certatim fremimus, propemodum etiam aerem ipsum verberamus, & pulverem in cœlum, velut insani, jacimus, Jurgia e jurgiis serimus, ut de concordia ecclesiæ ne cogitandi fere libertas ulla nobis restet: Nulla superest charitas, nulla fides, nulla fœdera, nullus senatus, nihil reliqui magistratus, nulla legum, nulla præsulum reverentia, nullus dogmatum consensus, sed, velut in dissono choro, suum quisq; canit cantiunculum.

54. Frequens ac varium bellum quotidie nobis movent veritatis hostes. Pudet fere enumerare litium nostrarum gradus; Presbyterianis succenturiantur Independentes, his Anabaptistæ, Anabaptistis Antinomiani, his, quos, novo nomine Quæristas appellemus, Quæristis deniq, Libertini. Hi, scilicet, tanquam tria boum paria, conjugati, spineum hunc nostrum vitiorum ac errorum arvum colunt.

55. Mirum certe est quomodo hos inter, ut ita dicam, veritatis Cacos conveniat, mirum, inquam, est quomodo, cum in cæteris δὶς διὰ πασῶν dissideant, scismatis tamen & rebellionis conrei esse possent. Adversis & contractis ad veritatem frontibus solent se invicem respicere; hi veri interpolatores, adeo ut alter anathema alteri sit; & in suggestu adversus se mutuo declament, diverso tamen calle ad eundem finem tendentes, pari scelere & nisu unanimi, dispari licet erroris via ingressi, in campo conveniunt, mutuo manus conferunt, & conjunctis viribus, adunatoq; impetu in Ecclesiam eorum omnium matrem irruunt.

56. Jacet! heu jacet corpus illud sacrosanctum; quod tam mitis & pacifici domini & magistri nomen gerit, misere jacet gladio in propria viscera adacto, Cadmeis victoriis dilaceratum, & cruentâ collisione pene in frusta concisum. Quælibet secta ungues & dentes vulneribus istis impactos tenet, ut labia, jam satis hiantia, magis magisq; a se invicem divellat ac distrahat. Sedatâ unâ alia statim simultas pullulat quæ male obducta vulnera recrudescere facit, nemo prorsus de iis adducendis, conglutinandis, sanandis curam suscipit ullam.

57. Quo autem modo sacrum hoc bellum feram? quomodo pastores novarum opinionum contentionibus divisos inter se & diffidentes, & in pascendo greges partes contrarias foventes connectam, atq; ad unionem reducam? quomodo populum ab ipsis abraptum, diffidentem & studiis contrariis distractum in unam caulam cogam?

58. Cur hæc, quæso, committimus ó fratres, & quamdiu committimus? quando ab hac crapula *tandem* emergemus, quando hanc oculorum lemam detrahemus, atq; ad veritatis lucem suspiciemus? Quæ hæc caligo est? quis hic nocturnus conflictus? quæ hæc tempestas amicos ab hostibus non internoscens? Non iis duntaxat qui diversa sentiunt, atq; in fidei doctrina diffident, verum iis quoq; qui eandem fidem profitentur, atq; adversus eosdem, & pro iisdem confligamur. Quamdiu durabit hoc scandulum? quousq; tanta procedet impietas, quæ tanquam vehemens flamma vicina quæq; corripit, devastat, exurit, & ecclesiam, vestrum omnium matrem in summas angustias redigit.

59. Facessat quæso, hoc inutile litigium, concor-
des

des simus, vel tandem aliquando simus unanimes, ne veritatem ulterius inani fraude jugulemus. Nonne tempus est ut cordis nostri valvæ pateant concordiæ, ut paci litemus, & Christianæ charitati sacra faciamus? Cum cibi, somni, cantus, satietas sit, cum omnium non modo molestarum rerum sed etiam jucundissimarum saturitas, & fastidium oboriatur, cunctaque inter se *imment* & covertantur, quorsum nobis istæ disceptationes & verborum pugnæ? An non satis litatum est intempestivis anathematis, & diris illis carminibus *Damnamus, execramur?* An non ab una lite veluti ab hydra litium mille capita succreverunt? Juncti vix pares sumus ad asserendam veritatem erga hostem communem, quid igitur futurum erit, si in diversa imo in adversa mutuis æmulationibus discessionem faciemus?

60. Vos ergo per spes vestras, per quicquid apud Christi nomine initiatos sanctum & inviolandum habeatur, adjuro atque obtestor, Expergiscimini, tandem resipiscite, pacem iterum arripite, & mordicus tenete, post tot tristes & funestas contentiones, quibus atrocitas utrinque odiorum & feralium irarum magis magisque irritata & exasperata est, ponamus tandem infestos animos, & mansuetudine, lenitate, & charitate non simulatâ mutua odia sedate, & satius sit nobis certamina consopire, quam jugiter certando Ecclesiam in tot frusta discerpere & laniare.

61. At quam inani me spe lactat mens mea paulo in pacem pronior, querelis uti facile quidem est, nec suasoria ad pacem argumenta in medium producere adeo difficile, at quo pacto bello finis imponendus sit statuere hoc demum prudentis est & conciliarii.

62. Vah! quo valuit detumuisse præteritos fluctus quibus parum abfuit quin obrueremur? Quò tot pacis, heu nimium fallacis, intervalla, quò tot gaudia tam fugacia? An ut furore redivivo ac stimulis nefandis rursus exitaremur ad hoc bellum, & totius gentis consensu tot hominum manus in perniciem propriam armarentur?

63. O pax amica,ab omnibus laudata,a paucis tamen conservata, cur tanto jam temporis spatio miseros nos, & te anhelantes fugisti? O quando ad nos reditura es? Te, te unice cupio, te osculor, præsentem amplexor, absentem continuis gemitibus, luctibus & lachrymis suspiro & exopto.

64. Non enim ut olim verbis lites tantum serimus,& umbratili velitatione invicem decertamus, sed ab altercatione ad aperta odia proceditur, & pars utraque conceptas de religione opiniones suas gladio tutatur. Quot horrenda, bona hæc, ut vocatur,Causa, produxit facinora? Quot cædes, proditiones & parricidia ex hoc fronte profecta? Quanta hodie ex hoc prætextu portenta in regno pariter & Ecclesia nata? Hinc soluta a nobis est omnis disciplina civilis & Ecclesiastica? quam fædum in modum jura omnia tam divina quam humana sunt subversa? Omnia scilicet susque deque miscentur,Homines malesani, non nisi rerum novarū studio delectantur. Ominum fere rerum mutationem affectant & non solum in republicâ sed multò magis in ecclesia perpetuâ pruriunt novandi libine.

65. Sacrorum ritus a majoribus acceptos aboleri, novos invectos, novam religionis formam obtrudi satagunt, fordet apud eos omnis antiquitas, novæ itaque doctrinæ sementum spargunt, errores novos indies

indies fere in lucem proferunt, pertinaciter ingeunt, ac antiquæ & simplici veritati anteferunt.

67. Hinc tanta veritas Tyrannide sævitiaque opprimitur, nec nisi in angustiis & occultis congressibus eam profiteri licet, hinc tot prodeunt hæreses, & novæ indies sectæ, hinc tot novi seductores oriuntur, in quibus, præter ignorantiam, contumaciam & novitatis studium, nihil solidi invenias, qui nullius præeunte vestigio errant, qui sibi ejus quod credunt authores soli sunt, qui adversus veritatem receptam novas cudunt calumnias, qui religionis vim succidunt & in ejus locum sufficiunt umbrã tantum & nebulas.

68. In trita & veteri via novam semitam investigant, & in antiqua detritaque materia rudem artis excogitant elegantiam, miseret me certe hominum frustra laborantium, quibus, cum via ad veritatem pateat ampla, per avia tamen & ambages dubias semitam novam quærere lubet.

69. In omni antiquitatis serie, vix ullum tempus invenire possumus, vel crescentis, vel constitutæ, vel nascentis religionis, in quo non veritas imdignis, a quibusdam male feriatis hominibus, contumeliis fuerit afflicta. Fateor equidem novas sectas statim ad exortum Evangelii pullulasse, & unum aut alterum dogma Christianum, vel calente adhuc Christi sanguine expugnatum, hujus autem seculi Zelotæ totum ab imis fundamentis sacræ doctrinæ Systema diruere moliti sunt; Ea his temporibus incumbit *calamitas* ut nihil jam sapiat nisi quod fidei, sacro Dei verbo nixæ è diametro opponatur, ejusq; ipsum quasi centrum concutiat & fundamenta ipsa convellat. Tam late, proh dolor, jam serpsit contagio, & eo sese effudit pestilens & efferatum hujus

viperæ venenum, ut non solum sub ima cute lethale virus sparserit, sed noxio dente ipsa quoque viscera laceravit.

Quis, rogo, ante pauculos hos annos, ista augurari absque gravis censuræ notâ potuisset, quæ nunc ausi sunt palam defendere improbi homines? Nulla tam portentosa opinio quam non disseminent, nulla tam fœda Hæresis quæ hac ætate non inveniat suos applausores; Papismus, Socinianismus, Judaismus, Atheismus, qui non ita pridem vix hiscere audebant, nunc libere movent lacertos, & redditâ quasi juventute reviresc unt. Quæ á primis authoribus summo studio & quâdam modestiâ velata & abscondita erant, in aperto jam, veluti feræ è lustris suis prodeunt; Errores qui inter privata tecta olim se continebant, nunc publica templa occuparunt, & è suggestu, nemine contradicente, in vulgus disseminantur. Hi, scilicet, veterum fraudum pollinctores antiquas hæreses, firmissimis argumentis refutatas, & tot patrum Conciliis damnatas, & sepultas, nova arte fucatas ab inferis revocant, redivivas effodiunt & in scenam iterum producunt.

70. Blasphemiis interim horrendis palam patrocinantur, & nullo supplicii metu, in apertum eas producunt, cuique quodlibet, licet de Deo & ejus essentia, de Christo & ejus naturis & officiis, de Spiritu Sancto, & ejus Virtute, & efficacia, de Ecclesia & ejus ministris & dicere, docere & scribere. Male-loquentium & male sentientium turba in tenebris hactenus delituit, præsenti vero tempore nudata fronte triumphat impietas, nullum non impium doctrinæ genus excogitari potest, quin hodierno die & authores & assertores suos inveniat. Si quis

Mahometo

Mahometo cultum exhibure vellet, aut Mercuriothus adolere, aut Baccho sua orgia celebrare. Si quis beatam virginem Deiparam probris afficeret, sacræ paginæ veritati renunciaret, Christi deitatem negaret, aut seipsum Christum esse profiteretur, legem allegaret qua se tueatur, conscientiæ scilicet quam vocant libertatem. Homines qui nulla lege se teneri volunt, unam tamen hanc legem mordicus defendunt, ut neminem reum faciat sua religio, quam autem religionem hi magis probent incertum est, hoc tamen certissimum est, quod nullam præter veram improbent.

71. In hac omnium sectarum colluvie, metu male credendi, non pauci sunt qui nihil credunt, a superstitionem abhorrentes in profanationem ruunt, In idem malum per contraria prolabuntur, non secus ac distorta planta cum in alteram partem nimis inflectitur. Quam multa, alioquin non mala ingenia, proh dolor, hodie profanescunt? Quam multi, cum libertatem habeant quidlibet profitendi, tandem licentiam sibi nihil credendi arrogant? Adeo religio ipsa, cujus consensu colligari solent & divinciri inter se animi, permissâ libertate in partes scinditur, summoque in periculo versatur, & nisi mirabili modo Deus è cœlo his malis succurrere dignetur, videre mihi videor largam atheismo portam patefieri, & extremam barbariem toti nostro orbi impendere.

72. Ecce enim jam facti sumus similes iis qui stipulam post messem, aut qui ramulos in vinea post peractam vindemiam colligunt, cum nulli restant botri. Vinea hæc olim florentissima, ipsius Dei manu plantata, vallo munita, maceriâque ac turri firmata erat, nunc vero inimica manu, evulsis cum radice

radice vitibus; vastitate horrescit, ut nec à vinitoribus putetur, nec fodiatur, sed cum nulla supersint munimenta, à quibusvis prætereuntibus indignè conculcatur, nec aliud quid restat, nisi ut, diruta sepe, & claustris eversis, in sacram hanc vineam omnes promiscuæ bestiæ campi irruant. &, quod ab hostili manu relictum erat, funditus evertant.

73. Heu mihi! quia malitia abundavit penes me ignis devorans speciosa terræ meæ consumpsit residuum erucæ, comedit locusta, & residuum locustæ comedit rubigo, cum bruchus in reliquias defæviit. Certe! omnia & privatim et publice adeo male et insulse administrantur, tanta est populi inopia, atque miseria, tanta perturbatio & confusio, & in sacrum ordinem et politicum regimen invehitur, totoque & tantis quotidie respublica Christiana affligitur calamitatibus, ut, nisi Deus propitiâ manu nos ultro ruentes sustineat, verendum sit, ne ex ima sede ruptâ regni et Ecclesiæ compage totius gentis fatalis eversio subsequatur.

74. Heu quam horrenda & indigna perpetravit inimicus in Sanctuario tuo Domine? quantum gloriati sunt qui oderunt te in medio tabernaculi tui? Papæ! quot abominationibus divinum cultum commacularunt? Ritus meos sacros omnes, tam decoros, tam sancte a majoribus nostris institutos, omnino sustulerunt, Liturgiam meam, quantumvis à mendis repurgatam, unicâ liturâ obductâ, ejurarunt, nec quicquam in cultu divino ordinatum, aut decens mihi reliquerunt. Ecclesiæ dirutæ, atque in rudera & ruinas redactæ, sacræ mensæ impiis epulis profanatæ. Mystica vasa quibus ad publicas sacrasque libationes utebamur, nefariis manibus petulanter

&

& contumeliose contrectata, & ad profanos usus obeundos translata. Quidquamne horum religiosas aures non feriat? cum etiam atheis terrorem incutere queat? Proh! in quos sermones excurrere cogor? Sacri fontis lavacrum ipsum quoque pollutum, & quod initiationi nostræ per baptismum olim consecratum erat, adaquandis equis nunc adhibetur. Templa olim Dei laudibus dedicata nunc equorum hinnitibus resonant, quæ sacras olim suffitus redolebant, nunc equorum stercore fœdantur, res eas quas deripi nefas erat, impuræ nunc manus tractant, ubi solennia precum; & laudum sacrificia quondam celebrabantur, ubi sacræ conciones habebantur, & divina reverendæ synaxeos mysteria peragebantur, nunc bombardorum strepitus & tubarum clangor exauditur.

75. Quæstus & emolumenti causâ, pravis ducti cupiditatibus bona omnia Ecclesiæ dicata violenter diripiunt, exauctoratis Episcopis, eorum reditus fisco adjudicant, & ad hastam venales prostituunt. In præsulibus pellendis, hoc præcipue spectat impietas, ut quasi obice sublato ad ecclesiarum viduatarum opes diripiendas liber aditus patefieret, quem alioquin præclusum sibi videbat. Hinc plurimi è mendicis facti sunt divites, ex obscuris clari, nonnulli privatas ædes publicis substructionibus splendidiores effecerunt, & quanto res publica plus detrimenti cepit, tanto res istorum factæ sunt ampliores.

76. Templa etiam Dei per sacrilegia profanata & exhausta, sacrum patrimonium per vim & injuriam direptum, & in profanos, & nescio quorum privatos usus conversum: nec à vitreis quidem Templorum fenestris abstinuerunt impiæ manus, ligna, lapides

des, & dirutorum Templorum rudera venum exposita, utensilia sacra, multo cruore contaminata, vel fracta, vel dilapidata decimas ipsas à clero auferre ausa est improborum turba, quippe quæ proprio tantum commodo inhians, velut in prædam, sic in proventus ecclesiæ avide involare annisa est.

Tabulas superstitionis in quibus Christi, Deiparæ virginis, aut sanctorum imagines depictæ erant publice & magna cum solennitate igni & novo martyrio devovent.

77. Imaginibus, bibliothecis, altaribus, sacris denique rebus nullis parcunt scelerati, spes rapiendi ac prædandi adeo obcæcavit illorum animos ut sacrilegâ manu votiva dona diripiant, & profanent, impietatem avaritiâ cumulantes. Proh nefas! cum vitâ functis cœloque jam triumphantibus bellum gerant, in tumulos eorum sæviunt, & vel ipsa sepulturæ jura, ipsis quoque ethnicis sacrata, violant, Sanctorum cineres & ossa è sepulchris eruunt, & à multis abhinc sæculis sepultorum reliquiis, requiem quam terra mater in proprio sinu piè iis indulgebat, invident, & in ex ipso mortis asylo evellunt, ut in eas iterum atque iterum debacchentur, & si fieri possit, ipsum de mortuorum pulverem ad novum martyrium reposcant. Donaria piorum hominum, depositaque pietatis sacrilegè diripiunt non alio fine nisi ut nefarium inde lucrum captent.

Hic sequestratoris vice fungitur, & impiâ militum, vel scelestorum manu stipatus, sacra publica funestat, piosque cætus, ne iis vacent, ex ædibus sacris ejicit ille pauperum, & aliorum qui meliora sentiunt bona in fiscum redigit. Horum omnium Religio quæstus, & qualemcunque speciem pietatis præ se ferant, haud aliud spectant quam ut sese locupletent,

&

& ex Ecclesiæ opibus in publicis malis, diem Festum ducant.

78. Sacrilegiis ditati, & regni spoliis superbi, nullo non crudelitatis & avaritiæ genere omisso, in direptionibus urbium, & villarum grassantur, ex raptu scilicet, prædonum more, vivere honestissimum esse censetur. Cædes, incendia, eversiones, depopulationes præcipua sunt quibus delectantur negotia, vix memoria complecti, vix fando exprimere possum cladium nostrarum seriem, quæ tamen recordationem nostram effugere non potest, cum tot ubique sese offerant publicæ ruinæ monumenta. Quocunque enim animum, aut oculos vertas nusquam non occurrit insignis quædam species atq; imago calamitatis.

79. Agedum, si ita videtur, extra portas prospicite, excursionibus certe universam regionem vastatam deprehendetis, arvos populatos, segetes aut exhaustas, aut impii militis equorumque eorum pedibus conculcatas; Nec inermis quidem & imbellis plebs eorum manus effugere potest; Helluones scilicet hi inexplebiles, & diræ pestes patriæ domos, vicos, urbes ruinis & incendiis fædant, hostili incursu undique prædas abigunt, habitationes nostras & quicquid uspiam est culti in solitudinem vertunt, avitos lares, & conscios natalium parietes, & ipsas nutriculas casas relinquere, & è notis & assuetis nos cogunt laribus emigrare, nec facile inveniuntur qui extorres & exules fame & frigore ferè enecatos omnium denique rerum indigos hospitio excipere audeant, nisi iisdem modis, si hoc rescitum fuerit, in se animadverti cupiant. Ipsi interim damnis nostris saginati & saturi, & publicis reditibus abundan-

tes in fortunas nostras imminent, agros nostros, domos, bona omnia pro lubitu inter se dividunt, nullus interim æquitati, nullus deprecationibus aut lachrymis apud eos locus, tantum relinquitur è bonis suis possessori, quantum libido divisoris permiserit.

80. Sed cur in agros vos ablego? ad urbes mecum revertimini, Has enim præsidiis firmant validis, civium domus scrutantur, cujusque facultates rimantur (tota vita nostra sub ictu est, atque in acie ferri versatur) Inæquali sorte exactiones, modo per capita, modo pro censu imponuntur, Speciosis autem nominibus venena sua tegunt, & falsis titulis crudelitatem, avaritiam, rapinas, Remedia, si placet, subsidia, vectigalia, erogationes vocant nota publicarum cladium nomina.

81. Quis cogitatione complecti, quis verbis satis explicare queat quam multas mali formas, quam varia lethi genera ingeniosa malitia excogitarit? Quanta prælia sint commissa, quam multa cæsa fuerint hominum millia, quantum sanguinis ad restinguendas dissidiorum faces in hunc sacrum ignem effusum fuerit, Totam mali seriem exacte describere impossibile, breviter tamen longæ crudelitatis explicanda sævitia.

82. Nullus scilicet iis ludus est jucundior quam cruore, quam cæde manus imbuere; Postquam gladium semel evaginassent, & concivium cruore inquinassent, nullus apud eos cædendi finis, nulla sæviendi fatigatio aut satietas; Sanguini principum non parcitur, crudelitatem odiumque, quod in bonos omnes inveteratum fovent, ad rabiem usque, in obvios quosque, qui illorum scelera aversantur, effundunt,

fundunt, Quod vel inde manifestò apparet, quod crudele inter ipsos, & ab omni humanitate alienum propositum erat facinus; ut interfectis omnibus qui a regiis partibus steterant, nemo, ne ad deplorandam tanti regni & Ecclesiæ cladem, relinqueretur. Nec tenera & imbellis ætas ad commiserationem, nec senectus ad reverentiam eos movebat, nec matronalis pudicitia inter sanctos, (hoc scilicet nomine sua scelera velabant nefarii) tutum reperiebat asylum, imò qui nihil omnino mali perpetrarant; maleficorum supplicia subibant, carceres captivis scatebant, Cives à diis penatibus & patria expulsi, in exilium ire cogebantur, & hæc quidem causa fuit quod tot domus opulentorum, tot tenuiorum tecta ab habitatoribus suis deserta fuerint, qui ut militum sævitiam effugerent, in avia loca, & solitudines profugere compellebantur.

83. Heu quam summis uniti conatibus, crudelitate immanes, & furore rapidi sanctam Dei Ecclesiam adoriuntur? quam supra modum auctæ sunt copiæ eorum qui eam infestare audent, & in ipsam crudeliter insurgunt? Ferino scilicet & furibundo impetu contra eam feruntur, &, quasi noxia animalia, vinculis solutis ad cædes & strages, velut è cubili, prosiliunt. Instar ferarum crudelissime nos dilaceratos in æternum præcipitare exitium percupiunt; furore suo obcæcati nihil magis exoptant, quàm ut rabiem suam contra genuinos Ecclesiæ filios exerceant, idque pro summo bono habent, ut eos evertant, & gloriam Evangelii in summum dedecus, imò, si fieri possit, omnino in nihilum radigant.

84. Neque

84. Neque enim solo impetu peccatur, sed & deliberato consilio, nec interjectâ ullâ mora temperatur hæc Rabies sed multo sævius exardescit. Qui temere, in primis hujus mali exordiis, arma arripuerant, jam obstinatius pugnant, &, gradum referre nescientes, ruunt in vulnera desperatione gladiatoriâ. Canes & lupi rapido ore prædam dilaniant, & tam diu meminere prædandi, quamdiu venter vacuus, aut siccum fame guttur feritatem exasperat, ubi vero sanguine pasta immanitas viscera eorum distenta compleverit, cum saturitate succedit oblivio, tam diu nescitura quid capiat, donec memoriam prædandi revocaverit esuries. Hi vero (tanto licet cruore pasti) necdum satiati, rabidiori impetu feruntur. Sanguis humanus iis ludo est, & joco, adeo ut quicquid jam partibus belligerantibus superest Zeli, totum in furorem convertatur, per quem nec humanis parcitur nec divinis, crudelitas, sævitia, inhumanitas ubique grassantur, atque quodcunque trucis iræ exemplum editur, ac religioni victrix impietas insultat.

85. Dolos enim, continuos nectunt, bellum ἄσπονδον nobiscum gerunt, vim indefessam inferunt, omnes aditus, omnes semitas, quæ sive recto, sive obliquo tramite ad perniciem nostram perducant, solertissime investigant. Quem lapidem non movent? Quas fraudes non excogitant? Quas nocendi artes non experiuntur, cui sceleri manus suas non accommodant? Quo se exercitatiores in ultimum nostrum, quod unice exoptant, exitium reddant.

86. Arcum virium suarum tetenderunt, paratas habent sagittas ad nos transfigendos & impia castra moverunt ut nos funditus evertant.

87. Heu

87. Heu me miseram! Quam vastat Dei populum clerum meum persecutionis infestæ insolens & acerba grassatio? Episcopos meos suis Cathedris deturbant, eorum census & fundos rem fisci faciunt, nefariâ peste ambitionis, & invidia inflati, sacrum ordinem convellunt, &, divinâ licet manu compositum, & distinctum, tanquam illegitimum execrantur, atque è sua republica ejiciunt, clerumque omnem ad justam, ut aiunt, paritatis, cum infima indoctæ plebis fæce, rationem redigunt.

88. Sacerdotes interim aut omnino nulli sacro ordini aut certe perperam ascripti, Probis omnibus expulsis, & exturbatis, vel nulli suffecti & substituti nisi qui sacra profanent, hæreses vel ipsi propagent, vel earum assertores tolerent divinam veritatis lucem humanarum opinionum nebulis obscurando. Nec pastores constituti sunt qui oves pascunt, sed lupi potius qui lanient, dispergant, gregesque Christi dissipent, thronum ejus evertant, & oves ejus cœlesti cibo privent; Nullus est qui gregem recta docendo de officio suo moneat, vel adversus horum temporum errores muniat, & in salutis tramite retineat.

89. Horrorem mihi incutit eorum vesania qui nefario ausu per vim in Ecclesiam Dei irrumpunt, & pro sacerdotibus populi Dei, impie, & sine ulla reverentia se obtrudunt, qui temerario conatu, & mysticis legibus omnino abhorrente, cum extra scepta potius consistere debeant, in ipsa adyta penetrant, & in sanctum sanctorum, velo licet obductum, illotis, quod dicitur, manibus, nullisque priscis initiati ritibus, irruere non erubescunt. Cum vix digni, sint qui sanctis liminibus pedes admoveant,

indigni

indigni certe qui ligitime ad sacerdotium vocatis pastorale pedum eripiant, vel totum corporis Ecclesiastici ordinem conturbent.

90. Non cuivis homini datum est fidei dogmata cum judicio, ut par est, dispensare, nec cuilibet è vulgo, aut idiotæ convenit sine prævia vocatione & legitima missione sacra tractare, nostra autem, quod dolendum est, ætate, distributionem verbi omnes promiscue profitentur, & disputandi prurigo à Scholis ad publicas, quæ in Ecclesiis habentur, conciones transivit, inde ad plateas, tonstrines, imò ad cauponas transmigravit. Quænam inde mala in Christi gregem redundarint vel hinc patet, quod fido pastore carens, nullis disciplinæ terminis circumscriptus, oberrans in montibus, in speluncis, & terræ cavernis, huc illuc dispersus ita ut universa Anglia nunc mutata sit in quoddam pelagus tumultibus æstuans, & infelix Ecclesia quæ quondam unitate fidei, & disciplinæ decore, aliis Ecclesiis facem preferebat, nunc, proh dolor, veluti navis, gubernatore destituta, incretis variarum opinionum monstris in diversas horrendarum hæresium semitas à regia veritatis via aberraverit, & contrariis motibus fluctuaverit, rectoribus, legibus, ritibus, bonis denique omnibus orbata.

91. Quis digna exprimat, quantis injuriis & contumeliis affectus fuerit clerus meus, quam indignis modis tractatus ab istis disciplinæ & religionis osoribus? Quantus furor in pellendis toto regno pastoribus apparuerit? vi, scilicet, & armis eos è suis sedibus exturbarunt, quosdam proscriptos, suis bonis spoliatos & ad summam paupertatem redactos, vel fame vel mærore confectos, ipsis vitæ finibus excedere

dere compulerunt: Alios, ergastulis inclusos & carceribus mancipatos, inter suspiria & lachrymas vitam ducere coegerunt: Alios solum vertere, ignotasque regiones petere solatii loco permissum. Quibus autem libertate fruendi & in patria permanendi facultas concessa (ut secum, quod aiunt, habitarent) ab iis pro imperii potestate persecutores pollebant pro redimenda ista, si ita eam appellare fas sit, libertate munera insolenter exigebantur, ad cædem quippe & ruinam omnes destinabant, qui Regi aut Ecclesiæ patrocinabantur.

92 Quò non penetres livor improbe? Clerum meum vel latentem invenit invidia, adeo damnosum est eum plura possidere, ut (cum servis quoque habere peculium liceat) invidiosum huic putant quicquid ægestatis nomen exsuperat. Antiquitas præsulibus & sacerdotibus larga manu omnia subministrare solebat, ut eo melius studiis vacare, & sacra sine ulla secularis negotii mixturâ celebrare, hæreticorum dogmatum nodos dissolvere, & ignaros in via veritatis erudire possent, non vero doctis & orthodoxis merita stipendia imminuere, si vero aliquos loco movebant, horum crimina, luxus, dissidia, ignorantia, sub censuram vocabantur, non autem probitas, pietas, erga Deum & Dei vices gerentem regem reverentia ipsis probri loco objiciebantur. Hac autem ætate perfidi homines ubique rerum potiuntur, probi vero fidique pastores, qui benigno quodam doctrinæ vitæque beneactæ fulgore vicinum orbem collustrarunt, Ecclesiis suis exturbantur, iis, qui omni honore digni sunt, expulsis, de plebe alios indignissimos substituunt, & qui in laicorum classe censeri merentur ad sacerdo-

talem dignitatem & venerandum altare promoventur, duplici nomine Dei Ecclesiam male afficientes, nempe quod dignos arceant, & quod indignos & prorsus inidoneos in sacros ordines ascribant.

93. Ad divinum hoc munus labefactandum nihil consultius, ac magis è re sua fore putat profanum hoc hominum genus, quam probos ac doctos viros omni maledictorum genere lacessere, confictis criminibus prægravare, probrisque proscindere, ut eorum munus sacrosanctum flocci faciant, & ipsos imperitis, & à se prius seductis turbis aspernendos propinent.

94. Hinc, Cathedram pestilentiæ construentes maledicta & convitia in eos conjecta pro deliciis habent, & eorum famam, vitamque liventibus & urentibus oculis perstringunt, qui suarum virtutum nitore totum hoc seculum illustrant, & tanquam aurea candelabra ardent in conspectu domini. Adeo scilicet in eos intenti sunt omnium oculi, ut vel leviter labi non possint quin vulgi fabula fiat, atque in circulis & tabernis cantillentur.

Hinc ludibria, contemptus ille, & variæ irrisiones, quibus sacrorum hominum reverentiam imminuunt, & fæde dehonestant, hinc sarcastici illi sales quibus in eos furiose involant, eorumq; famæ indigna quævis stigmata inurunt. Justas eorum laudes & merita denigrando, occultos autem defectus luculentissime propalando, nulloque habito discrimine vitia omnibus affingunt, atque ob quorundam vel unius tantum culpam universum ordinem in invidiam & crimen vocant.

95. Ita scilicet Ecclesiam aiunt ob sacerdotum improborum flagitia devenustatam. Pessima iis

nota

nota inuritur dum *Omnes* impii, profani, malefici, impostores Baalis, aut Antichristi Sacerdotes, omnium scelerum autores & Artifices, ab iis, quibus hæc nomina magis conveniunt, appellantur. Cum ipsi non pro grege, quem violenter invaserunt, excubent, sed sibi ipsis tantum laborent, & suorum commodis. Superbi inquiunt Omnes & avari, moribus inverecundi, in Officio pigri, in divinis irreligiosi, in nugis petulantes, Omnes in papismi castris profligaturi, *Omnes* denique in vitio primi ducesque, qui simplicis & ignaræ plebeculæ animas ad præcipitia seducant.

96. Quæ verò malùm hæc contumelia est? Vah! quanti estis calumniatores? Os vobis maledicum obtundat Deus. Totum orbem appello testem hujus tam putidi & insulsi opprobrii, quid falsius dicere potuit inimicorum inimicissimus? Quid si ex tota sacri ordinis cohorte unus aut alter corruptis sit præditus moribus, nec tam integræ sit vitæ qualem agere debebant qui sacratas aras attingunt? an non inique nobiscum agunt adversarii dum paucorum delicta toti Ecclesiæ imputanda censent?

97. Ita certe cum natura humana comparatum est, ut nemo mortalium labis expers reperiatur, nec ulli tam artifices adhibuit manus cujus vitam nullum unquam delictum, ex ipsa fatali sorte, non infuscaverit. Nullus est hominum ordo ac societas, nulla species rerum, ac ne corpus quidem unum tam undique omni elegantiâ & ornatu venustum in quo non nævus aliquis reperiatur. Sunt in sole ipso maculæ, & adamantem capillamenta, carbunculos intercursantes venulæ, pellucidos chrystallos intermixtæ nubeculæ, ipsam etiam pulcherrimam

faciem nævi quidam devenustant. In planetis unus est Saturnus, in ære, vitali vi prædito,& præsteres generantur exitiosi, & Ecnephiæ naufragosi, in metallis venena, inter herbas cicuta, inter Philosophos fatui, inter Grammaticos barbari inveniuntur. Non omnes advocati sunt boni clientum patroni, nec omnes judices legum vindices, nec vestales virgines omnes castæ, nec Episcopi omnes, ut ait Hieronymus, Episcopi. Quid si cerebrosi quidam doctorculi parodoxa quædam pontificiorum dogmata, aut ceremonias quasdam, papismum spirantes, renovare voluerint? Quid si ex toto ordine unus aut alter ex professo pontificiorum partes agat, aut Papæ Romano sese mancipio tradat, & ambitiosæ illius usurpationi supparasitetur? Æquum tamen non est, ut in totam Ecclesiam Anglicanam cudatur hæc faba. Si qui prædictis criminibus contaminati fuerint, ipsi quidem pænas debitas luant, ipsi vero Ecclesiæ veræque religionis professoribus paucorum culpa non imputetur.

Cum enim in mundanis imperiis, & præfecturis, alia res sit ipsa præfectura, alius is qui non, ut convenit, eam tractat, quidnam causæ subest cur eadem distinctio non admittatur, ut aliud sit officium sacerdotalem, alii ii qui non, ut officii ratio postulat, illud administrant? Ipsi certe sacro ordini nulla debetur criminatio, quæ tantum ad personas male administrantes, quas à pænis meritis non eximendis judicamus, pertinet, cur, porro, partis longe majoris meliorisque virtus non plus valeat ad honorem toti ordini conciliandum, quam minoris culpa ad dedecus.

98. Re-

98. Resorbete ergo, si quid pudoris vobis restat, contumelias istas quas tam temere & falso objicere ausi estis adversarii. Dei optimi maximi ministros, qui sacris mysteriis operantur, in posterum tam impudenter calumniari desinite, repurgate vos ipsos à sordibus vestris ac debitum honorem ac reverentiam sacerdotio reddite.

99. Maxima certe acerbitate urit animum meum pristini mei status memoria. Cogitanti enim mihi, & mentis oculos per anteacta tempora, & antiqua decora mea circumferenti, non parum crescit & augetur tristitia; nam vel sponte recurrit in miseriis tristis præteritæ felicitatis recordatio. Quoties orbitatem meam reputo, quoties inquam Angliam meam optimis moribus institutam, sanctisq; legibus olim florentem, nunc autem jacentem, laceratam, ac direptam in mentem mihi revoco (quod quidem ut debeo sæpe facio) toties graviter ingemiscere, & vicem meam mæstissimam impense dolere, & moleste ferre cogor. Si qua ætas unquam aut ex magnitudine, aut ex felicitate rerum gestarum gratulandi sibi materiam nacta fuerit, ea certe nostris temporibus affulsit. Ea quippe paucis ab hinc annis gesta sunt quæ fortuna ipsa dubitabat an efficere posset antequam aggressa fuisset quæque apud posteros vix fidem habitura sint. O quam mihi quondam pleno sinu sese effudit! Quam mihi blanditur gloriæ meæ conscius aliquando fulgor? Cum, publicis quasi totius gentis humeris portata, lætitiâ totum Christianum orbem implevi: Securitas mihi erat alta, omnium rerum copia affluens, mercatura, latior indies & quæstuosior, patriæ fines in utramque Indiam promovebat: Obversabatur ante

oculos optima omnino reipublicæ forma, cui ad summam felicitatem nihil deerat nisi pereundi licentia; Vigebant artes in Academiis, in Foris, in Officinis, Leges æquissimæ regendis moribus populi mei & frangendis vitiis constitutæ; veterum captiosæ ambages recisæ & in melius reformatæ erant.

Quemadmodum cœli pulchritudo & solis lumen, & æris fusio communi & perenni beneficentia omnibus patent, sic & legum quoque liberrimum beneficium omnibus ex æquo concedebatur. In re privata summam vidimus tranquillitatem, secura, & festa pace fruebantur omnes, nulli divitiæ fraudi erant, neminem criminibus obnoxium reddebat fortunæ magnitudo, securâ mente rebus quisque suis tranquille & pacate vacare poterat? Olim domestici motus in hoc regno rari, aut, si qui fuerint, nequaquam consenescebant, statim sopiti, subitæ acies turbis civilibus finem imponebant & adhuc crudas, surgentesque lites dirimebant; aut si qua coorta seditio ad bellum inflammaverat iras, sæpe unius aut paucorum seditiosorum pœnâ resedit omnis tumor. Majores nostri per multos annos vitam agebant securam, ac felicem, cujus & nostra ætas particeps erat, neque enim militaris gladius ulli nocebat aut unquam evaginabatur, nec somnum oculis nostris ullus tubarum clangor excutiebat, nec per annos quamplurimos classicum ulli mortalium notum erat, pax altissima & spontanea felicitas nos manebant, totaque gens Brittanica sub uno Rege unâ religione, unâque spirabat animâ quæ summa erat, mea felicitas de qua exteræ gentes mihi gratulabantur quæ fortunatissimam & omnibus beatiorem

rem terris Britanniam deprædicabant. Cum maxima Europæ pars bello, cædibus, famæ, vastitate affligeretur, nos, Dei optimi maximi imprimis ope, & Regis sapientissimi Consilio, quasi extra omnem aleæ fortunam positi, alta pace fruebamur, nulla reperiebatur in terris gens cui non incutiebant metum vires nostræ, aut cujus amicitiam humanitas nostra nobis non conciliabat, nulla gens à qua nobis ullum pertimescendum erat malum, nullus Regum vicinorum qui bello nos lacessere audebat; tanta scilicet erat bonorum affluentia, tam felix denique rerum status, ut omnia foris placida, domi prospera essent.

100. Norunt omnes quotquot sunt uspiam ingenui reformatæ Ecclesiæ filii nullam fuisse in toto orbe Christiano Ecclesiam, vel doctrinæ Orthodoxæ lumine illustriorem, vel disciplinæ decore gloriosiorem, tantorumque martyrum sanguine fundatam, tot theologorum doctissimorum turmis munitam, tot disertissimorum concionatorum catervis stipatam, tot tamque eximiis piorum operum, egregiorum scriptorum monumentis nobilitatam, tam celebribus Academiis instructam, Portas nostras dilexit Dominus, & benevolentiâ suâ, veluti scuto circumdedit, vexillum gratiæ & solium gloriæ in medio nostrum erexit. Nihil erat rerum secundarum quod nos non circumflueret, vota nostra non solum æquabat benignitas ejus sed omnibus modis superabat.

Notam fecit nobis viam salutis, arcanum fœderis revelavit, scripturarum genuinam notitiam dedit, Evangelii prædicationem; Sacramentorum administrationem. Elegit nos ut essemus hæreditas

ejus, selectissima, ad quam excolendam omnia bona largissima manu in nos contulit, & nihil omnino, quod ad nos instituendos, ornandos & beatos efficiendos conduceret, nobis denegavit, ut vere dicere possimus, sicut Aquila pullis suis incubat, expandit super eos alas suas, eisque portat eos, ita & nos portavit, fovit, duxit, & tanquam oculi pupillam, custodivit Dominus fortitudo nostra.

101. *Verum, O Domine!* fœlicitas hæc mea in infortunium, gaudium in luctus est conversum, idq; propter transgressiones filiorum meorum, Ecclesiam quam olim visus eras magnificasse, cui uni præ aliis favisse, quanta jam calamitatum abyssus eam inundavit? Tranquillitatem pristinam quam horrendæ tempestates subsecutæ? Splendor ille meus, quo non ita pridem enitui, quanto nunc squalore hoc, in luctu, in hac tam acerba clade obfuscatus est?

102. Nescio quo sinistro fato omnibus hisce gaudiis excidi, & in contubernium doloris adducta sum. Imperium hoc, tantis laboribus fundatum, libertates nostras, tantâ virtute stabilitas, fortunas omnes, tantâ Dei benignitate auctas, & exaggeratas, pauci anni pene delerunt; Ea vis, ea authoritas, illæ copiæ quæ pro nobis steterant, non sine tuo numine & nostro merito, in nostrum jam excitatæ sunt exitium, nosque adeo insense prosequuntur, ut ideo tantum prioribus seculis servati videamur, ut essent in quos posteriorum temporum acerbitas desæviret.

103. Hunccine factura sum exitum toto Christiano orbe conspicua Mater? Itane omnia jam mihi consumpta, ut tam igniminiosa catastrophe peri-

tura

tura sim? O triste meum fatum, quam longe exsuperat mearum calamitatum mensura, diuturnæ meæ felicitatis bona!

104. O Anglia! O patria mea, quam tu longe alia nunc es quam nuperrime fuisti? Heu me! De quanto bono in quantum malum cecidi? O me infelicem, de quam sublimi loco in quam profundum barathrum corrui? quò tendebam, & quò deveni? Ad quæ aspiravi, & nunc in quibus suspiro? Quam male metuo ne sicut Ægypti vaccæ, deformes & carne exhaustæ, pulchres formâ & pingues carne devorabant, ita & horum & sequentium annorum clades antecedentis felicitatis meæ splendorem omnino sit obliteratura?

105. Ubi nunc est illa antiqua fides, pietas, religio, ordo? ubi gentium hodie exulat majorum simplicitas? Quænam Erynnis Stygiis sese extulit undis, quæ tantum concordiæ tot tantisque litibus obturbaret? Anglia discors, heu! cuilibet in prædam cessit, præceps illi ruina imminet, hostili exercitu indies atteritur regnum florentissimum, & nisi suis propriis viribus corrueret alienis vix labefactura posset.

106. Desolata jam vinea mea est, Signa nostra non amplius videmus, contrariis motibus fluctuat navis Anglicana perito gubernatore destituta. In exitium nostrum ipsi nos feroces sumus degeneres fidelitatis antiquæ, & corruptione seculi ad omne scelus parati. Non alia certe quam captarum urbium forma, terribilis facies publici metus, omnia denique mæsta, turbida & confusa apparent. Videor mihi videre urbem ocellum jam olim orbis terrarum, atque arcem gentium, subito dissentio-

num

num incendio in cineres fere concidentem. Prævideo, (O utinam vana augurer!) patriam in ruinam propriam collabentem, Cives meos in mutuas cædes debacchantes, & autores tantarum cladium infortuniis nostris arridentes & insultantes. Arma olim rubigine obsita, expedita jam prospicio, gladium olim vaginâ reconditum districtum video commodum & habilem. Erat quandoque Lex, forum, judicium, & ideo magistratus constituti, ne sui quisque gravaminis aut judex, aut vindex esset; jam vero ad arma quilibet transmittitur, instituiturque perniciosa nocendi contentio invicem legis, cujus locum vis occupavit; Opprimitur innocentia & paucorum tyrannide subjecti, tristè libertatis naufragium omnes subeunt. Pax omnis pulsa & fugata, regnum vastatum & Ecclesia non ita pridem florentissima decore suo spoliata. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctus chorus noster, lux in tenebras, luna in sanguinem, valetudo in morbum, vita in mortem conversa est, & infelix ego nuper hostium invidia nunc eorum præda & ludibrium evasi.

107. Utinam autem ista sævitia inter peregrina mansisset exempla, & non in nostros mores transiisset, verum, major ut accedat dolori meo, cumulus, hoc mihi quoque querendum est, quod qui hæc perpetrant filii mei sunt; Malum hoc omne in propriis venis residet, & in ipsis visceribus meis penitus inclusum est.

Cum omnia apud exteros terrâ marique peccata sint, domesticum mihi bellum præcordia ipsa erodit, cumque sub externo hoste non habeam quod metuam interne mihi struuntur insidiæ, eòque feritatis

ritatis processit civium rabies, ut ipsi, instar immanium luporum, in ovile nostrum desæviamus, nec aliis vulneribus pereamus quam quæ propriis manibus nobis ipsis infligimus.

108. Miseranda certe res erat Arcam Dei ab exteris & incircumcisis occupatam, & à gentibus calcatam fuisse Jerusalem, Ab his autem non est querelæ nostræ tam acerba materia. Pugna hæc, de qua querimur, gliscit inter fratres, plures bellum civile quam hostilis mucro consumpsit, Ne qua pars doloris nostri minueretur, ecce adversarii nudavere vultus suos, ut, retecta facie, agnoscamus nos non ab exteris aut allodoxis, sed a fratribus, & domesticis (quod fidei hostibus optatam plaudendi, mihi vero eò acerbiorem plangendi occasionem præbet) vulnerari. Ab his inquam plagam accepimus, qui nostri quandoque visi sunt alumni, & eâdem *Zona* accincti, qui in unum nomen & classem unam nobiscum olim convenerant, & unà nobiscum communia sacra tractarant, dulcesque Sacramentorum escas perceperant. Hi scilicet discesserunt à nobis, & dilapsi sunt, in hoc similes viperis qui viscera erodunt qui gestaverunt eas, & vermi qui lignum consumit ex quo nascitur, & tineis qui vestes arrodunt ex quibus generantur, sic & hi ingratissimi, Ecclesiam illam cujus auspiciis in Christi gremium initiati & insiti fuerunt, in partes distrahere, pravitateque morum & dogmatum inficere, & in perfidiam & apostasiam solicitare student.

109. Quinam autem sunt harum seditionum Choryphæi? Quibus subsidiis, quorumve ope & Consilio freti, hæc aggredi in animo induxerunt?

hisce

Hisce impiis conatibus quinam operam suam præstant administram? Quinam? Quinam? Certe! si levato velo agam & quod res est libere dicam, & ab ipso capite, ut aiunt, horum motuum exquiram riginem, nulli sane alii invenientur, horum tumultuum antesignani quam ipsi sacrorum ministri, nullibi magis quam in suggestis ubi verba salutaris doctrinæ resonare debebant, huic rei navata est opera: Hi, inquam, sævi doloris nostri Artifices, Ut cæteros fere omnes, quasi quisquilias seditionis, omittamus; Qui pacis recones esse debuerant, tubæ seditionis, & publici incendii flabella erant; Qui Christi nuncii & Evangelii buccinatores, Hi belli hujus infandi, præcentores, fautores, & præcipue faces exciterunt. Hi Pyræ nostræ, qua conflagramus, oleum superinjiciebant; Hi maximi regni turbines, qui non modo præcipitanti patriæ non subveniebant, sed & plebem reclamantem precibus, querelis, minis, ut ab Ecclesia matre discessionem facerent solicitabant: imò ipsum vulgus Christianorum in partes vocabant, & per concionales tubas Martem ipsum quasi cantu accendebant. Hi imperitorum mentes, conjectis in Orthodoxos calumniis, obcæcabant: Regi autem ipsi, magnatibus, nobilibus, clero, omnibus denique bene de patria meritis, continuis criminationibus invidiam movebant. Ecqua seditio unquam fuit in qua non illi Duces se præbuerint? Ecquis ambitiosus, & rerum novarum cupidus cui illi non familiares sese insinuaverint? Ecqua turbulenta concio cujus illi non concitatores fuerint? Dissidiis nimirum & factionibus non paci & concordiæ studebant, sperantes eò rem sibi futuram majori quæstui, quo fuerit reddita turbulentior:

bulentior: non aliter quam ut solent piscatores in fluctuoso & turbido mari ampliorem piscium capturam, majoremque thinnorum copiam retibus suis polliceri. Hi scilicet primi omnium litabant Bellonæ, & cum magno vulgi applausu ad arma imbellem plebeculam vocabant, ab his vicatim homines conscribebantur; horum nutu audaces homines, & ad turbas concitandas primi excitabantur, in decurias, centuriasque redigebantur, & in campum educebantur, ad vim inferendam, ad manus conserendas, & quod funestius est ad cædes incitabantur. Hi epulis, congratulationibusq; publicis intererant Sacerdotii puritatem & majestatem prostituentes. Hi præcationibus gregi præibant, quæ nihil nisi cædem & sanguinem spirabant, & concionibus clamosis subditos contra Deum, & Regem animabant. Ut de his vere illud Prophetæ, dici possit, *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta*, & illud etiam Poetæ, *Pastores odia exercent, Lupus intrat Ovile.* Cum nec sic, pro libidine impellentium, satis procederet ruptura, libri multi ab his conscripti sunt, qui plebem in partes distraherent, atque sanioris doctrinæ plebula in pus & venenum converterent. Eoque processit intempestiva scripturiendi prurigo, ut quicquid in buccam veniret chartis illineretur, typisque in exteris quoq; regionibus committeretur, cujus generis sunt virulentæ illæ scriptiones, Tribunitiæ conciones, & nefandæ in Ecclesiam Orthodoxam calumniæ quibus hactenus vulnus regni & ecclesiæ fuit ampliatum

110. Fallitur quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat, paucorum praviter sentientium suasu plebs ad quævis perpetranda instigatur,

ab horum nutu dependet ſi quid publice peccatur. Quemadmodum corpora noſtra motum niſi de mente non ſumunt, & otioſa ſunt membra donec illis animus tanquam organis utatur. Sicut aqua, in areola effuſa, digiti tractum ſequitur præcedentem: Sic etiam ætas hæc mollis & tenera, horumque artibus ſeducta, in utramque partem prava & flexibilis, quocunque duxerint trahitur. Non ejus qui meſſuit, ſpica eſt, verum ejus qui ſementum fecit, nec ei incendium imputandum eſt, qui extinguere non potuit, ſed qui excitavit. Atque ſi omnia, ſicut hodie fit, ſuſque deque miſceantur, ſi religio læſa, leges everſæ, libertas violata, regni opes exhauſtæ, ſi quicquid ſancti, eſt ruens in prædam miles ſubverterit, ſi ſacra pulvinaria contaminaverit, Si templa Dei ſolo æquaverit, & in ſanctiſſima fidei noſtræ pignora ſaeviverit, ſi denique (ut omnia συλλήβδην complectar) præſulis noſtri ſumme venerandum caput, ſeculari, aut Regis, ſumme ſacrum, militari brachio, mactandum traditum fuerit, hoc totum malorum agmen his unis ventorum omnium & tempeſtatum Æolis ferendum eſt acceptum, iiſdem ſtragem populi, iiſdem tot millium mortes, iiſdem quicquid mali paſſi ſumus, vel, quod adhuc gravius eſt, quicquid mali commiſſimus imputandum eſt.

III. Tenuioris autem frontis ſunt, quam ut palam profiteantur quæ ſub verborum tegumentis occultant. Sermonis itaque ſuavitate diras intentiones ſuas obtegunt, ut ſimpliciores, veluti piſces hamo eſca cooperto, capiant. Adeo illis ſolenne eſt atque familiare fucis quibuſdam & forma virtutum, & ſpecie ſanctitatis aſcititiam pulchritudi-

nem

nem comminisci, & fraudes suas, variis verborum lenociniis tinctas, & specioso religionis amictu involutas, obtendere. Quid de supercilio eorum dicam? Tantam scilicet, gravitatem præ se ferunt, tanta frontis in iis apparet contractio, ut his solis fere populum in officio continere audeant. Plurima enim ostendunt maximarum virtutum non expressa signa sed adumbrata, improbissimorum hominum utuntur servitio, optimis autem se viris deditos esse simulant, vigere videntur in ipsis studia pietatis, flagrant autem vitia avaritiæ & cupidinis; Proteos eos suspicari possis, ita in omnes vertuntur formas, cæcoque studio pietatis & Zeli prepostert fervore syderati pietatem ipsam petunt, & sub prætextu religionis, in ipsa religionis viscera grassantur.

112. Totus nimirum eorum sermo de spiritu est, & spiritus afflatu se omnia agere affirmant, solos se cœlestium rerum participes, exortes cæteros omnes esse audacter profitentur. Τῷ πνεύματι ζῶντες hodierni toti sanctimoniam crepant, & propheticos spiritus anhelant ut qui eos audiunt primâ facie stupefiant, adeo peregrino, & insolenti ideomate utuntur, ut à nemine nisi propriæ sectæ asseclis & assertoribus intelligantur, cæteri qui istos audiunt parum abest quin extasi aliqua supra nubes raptos fuisse putent aut in cælos sublatos.

113. Egregium vero & palmarium inventum! Quasi hoc nefario religionis stellionatu impostura fieri possit Dei oculis, qui mentis humanæ latebras, abditosque recessus permeant, & quod quisque animo volvit, discussis simulationum tegumentis, explicatissime pervident. Hoc sane ementitæ pieta-

tis

tis fallaciam & imposturam redolet; Itane verba vestra cum factis æternum diffident? Itane sub prætextu pietatis, rerum autem novarum studio, patriæ & Ecclesiæ viscera laniatis? Novit Deus, imo quis nostrum non novit? Quod sub religionis titulo exarceantur quælibet injusta facinora, & honor Christiani nominis fraudem magis fecit quam patitur. Id sanctum apud vos censetur & honestum quod vestris regnandi rationibus utile, id pium quod lucrosum, nomen scilicet pietatis colitur, ipsa vero pietas vapulat.

114. Ut ut in speciem religionis multa ja?entur, præcipua tamen horum turbatorum cura est ut res suas agant. Non illi captivam Dei arcam; sed captas u?es, copias deletas, & fusos exercitus dolent, privatis commodis student, publicæ causæ & pietatis obtentu, cupiditatumque suarum religionem constituunt velut pedissequam. Si enim ad severam judicii lancem ratio exigatur, & levato velo res ipsa aspiciatur, non Zelus hic fuit religionis sed furor potius, prædæ spe excitatus, non piarum sed novarum rerum studium, non ampliandi Christi regni, sed sui promovendi ambitio.

115. Olorem, ut immundum alitem, submoveri accepimus, eò quod externa specie sub nivis albedine nigricantem & infuscatam cutem reconditam gerat. Egregium profecto eorum symbolum qui, religionis nomen in speciem adumbrantes, scenæ se ostentant, & omnes vitæ suæ actus ad oculos Theatri quasi ad speculum efformant, & effingunt, qui denique inescandæ illaqueandæque multitudinis causâ, divinum numen sceleribus suis præfatur, & impiâ quadam pietate, sacra profanis

nis aucupari, commoda captare, & dominatum in plebem sibi comparare solent.

116. Reformationem autem, ut ita dicere liceat, præ se ferunt hi Egregii pietatis mimi, nomen Domini semper in ore habent, assiduis precibus Deum fatigant, & pro Domino, si placet, exercituum arma sumunt, Nescio quâ larvâ monstrosissimi papismi imperitam plebeculam terrent, Papaturientes nimirum prælatos, & hierarchiæ cultores ad clavum sedere, & ceremonias papismum redolentes in Ecclesiam introduci conqueruntur. O quam isti nostras vices dolent? Anglicanam quam isti deflent apostasiam? Clare se videre asserunt papisticam superstitionem iterum regnum invasuram, Angliam, piam olim insulam, & beatam, quæ inter florentissimas reformati orbis partes veræ & Orthodoxæ religionis palmam fert, & in qua lethaliter sese vulneratum sensit papismus, nunc in crassissimam iterum idolomaniam delapsuram & in pontificiorum castris pugnaturam augurantur.

117. Parcite autem, O boni, dolori huic, parcite gemitibus istis, Resorbete, si quid pudoris vobis reliqui est verba hæc quæ tam temere & fa[illegible] effutire ausi estis, plus enim panici terroris hæc habent quam periculi, imò vafri quorundam consilii, qui, hac papismi introducendi larvâ, credulorum animis imponunt. Sunt enim tantæ in isto commento ineptiæ, ut illi ipsi qui è sinu vestro prodeunt fraudem hanc suboleant, & cum indignatione aversentur. Nobis certe qui versatiles vestri pecto-

ris

ris flexus & ambages pernovimus, nec ingenitum religionis amorem ulla pietatis simulatione metimur, & quibus nullus jucundior concentus est, quam vita rerum sermonumque concordiâ temperata, licet esse piis sine vestra æmulatione.

118. Ingens nobis præbet sinceræ vestræ religionis specimen perfida vestra in fœderibus, & jurejurando fides, cum enim nihil sit in hominum societate fide sanctius, nihil in rebus divinis jurejurando religiosius cùm caveant pii ne temere unquam Dei nomen usurpent, aut perjurio sint finitimi, cùm apud eos tanta sit dictis authoritas, ut vel injuratis fides habeatur & semel promisisse jurasse sit, cum fœdera omnia summo cultu semper sint observata, & initas cum hoste inducias tam sancte observarint ipsi Ethnici, ut non, lacessiti quidem, eas violaverint, vos tamen fœdifragi, Dei Majestatem nequaquam reverentes, divinas res omnes ludo habere non veremini, jus omne, & fidem facile violatis, de quibus verum est quod a Lisandro dici solitum accepimus, Pueros ludere astragulis, vos perjuriis. Quoties vos irrita dixistis Sacramenta? quoties nefariam illam Euripidis vocem usurpare possetis; *Lingua juravi, mentem vero injuratam gero?*

Quoties jus omne & fidem fregistis? Si modo fidem vos fregisse accusandi estis, quam nunquam in pectore vestro resedisse verisimilius est, quæ enim fides penes eos esse potest, qui Dominum, qui Patriam, qui amicos, qui propinquos, qui Deum ipsum prodiderunt?

119. Ut non longius in hoc campo excurram, eorum juramenta, fœdera, acta oblivionis *ἀμνηστίας* scilicet monumenta saltem perpendamus. Ut ex ingenti

genti turba unum aut alterū exemplum proferamus. Juramenta quæ præstant, non nisi hac aut illa reservatione condita se recepisse mussitant, fœdera quæ feriunt tam dubio & ambagioso verborum flexu fabricant ut facillime iis illudere queant, quorum ut quodque plurimis & Sanctissimis ceremoniis conceptum fuerit ita citissime ab iis solvitur, inventâ facile in verbis calumniâ (quæ sic, de industria, dictant callide,) ut nunquam tam firmis astringi vinculis queant, quin elabantur aliqua quæ fœderi ac fidei ipsi pariter illudant. O religiosam vafritiem! O piam fraudem! quam, si privatorum hominum depræhenderent intervenisse contractibus, magno supercilio, rem sacrilegam & furcâ dignam vel Ethnici clamitarent.

120. Hac arce religionis dejecti ad aliud diverticulum fugiunt, Simulationem hanc si agnoscere occipies, velut tot Protei, aliis atque aliis coloribus fallunt. Mentitâ enim rerum imagine decipientes, Libertatem, Libertatem clamitant, nos bene sperare jubent, se amore patriæ, & studio legum tuendarum, & pro nominis Anglici incolumitate arma hæc sumpsisse blaterant. Nimirum gravissima servitute patriam nostram premi asserunt, & omnia jam pessum ire, & pro unius Tyranni arbitrio transigi vos, ita enim loqui assueverunt, quibus cordi est servitutem servire, cæptis nostris nequaquam favere, nos autem de publico potius bono, quam de nostro commodo & emolumento soliciti, nihil molimur nisi quod Regi imprimis, Ecclesiæ & Reipub. futurum est utile & salutare, quo articulo fucum alium nobis imponunt, dum prætendunt se facturos quod nec fecisse nec facere se velle aut posse optime norunt.

 121. At

131. At vero neque sic evaderis, nullo enim modo vosipsos abscondere poteritis, ne si in omnes quidem partes vos versetis, ac per vafritiem in omnes formas immutetis, & si Orci galeâ, ut dici solet, induamini, aut Gygis annuli, & gemmæ conversione vosmet ex adspectu hominum suffuremini, mysteria tamen vestra vulgo ut nota sint efficiam.

122. Ipsimet probe cognoscitis (ad vestram appello conscientiam) non eos vos esse homines quos palam profitimini. Nonne atrocissimæ seditioni nomen dedistis tyrannicæ feritatis coercitionis, excordi impietati, acerrimæ pietatis propugnationis? Nonne cum tot funerum authores, tot schismatum fautores, tot legum eversores, tot plebis exactores, tot tantique sanguinis sititores fueritis, piâ hac vestra fraude, apud imperitos propalam audivistis, religionis, si placet instauratores & publici status conservatores unici.

123. Cum omnem æqui honestique curam omnino abjecerunt callidi hi & versuti impostores, non cessant tamen facinoribus suis justitiæ velum prætendere (gladium scilicet ejus sibi vendicant, sed ad lancem quam alterâ manu gestat non respiciunt) ut ut enim in speciem justitiæ nomen jactatur contrarium tamen facta eorum injusta satis evincunt, cum huc omnes collineent, in hoc unice occupentur ut sibi spetioso hoc prætextu tyrannidem invadere possint. In hoc similes Absolomo qui exauctorandi Patris causâ probi judicis speciem præ se ferebat populumque Israeliticum per hujusmodi lenocinia sibi devinciebat: quod & hi justitiam tanquam velum quoddam iniquitati obducunt, pacem opulentam promittentes, & justitiam

æquo

æquo jure civibus omnibus adminiſtratam iri ſuggerentes.

124. Ad inescandas denique & illiciendas in fraudem credulas mentes, vafre & callide pro Rege ſe pugnare prætendunt, pro patria, pro populi ſalute, pro legum defenſione, pro quorum omnium conſervatione omnes, quibus ſana mens ſuppetit, & vel minima ſapientiæ mica ſupereſt, non modo facultates ſuas, ſed & vitam & ſanguinem effundere non recuſarent.

125. O apertum autem impudenſque mendacium! O teſtimonium pro ſe, ne Catoni quidem, creditum; nemo enim tam parum ſapit, nemo adeo εὐήθης, & fungi qui non ſentiat, eò hos conatus tendere, ut Monarchiæ & regnorum Statum evertant, & omnia ad popularem temeritatem, & imperitæ multitudinis dominationem redigantur, ut in leges omnes, & jura poteſtatem ſibi vendicant libertatis noſtræ, ut ſe vocant, ſtrenui iſti aſſertores, & ut de regni ſolio dejecto Carolo, ipſi ad regni gubernacula ſeſe evehant, ut independentium nomen, quod adoptarunt, apprime ipſis conveniat, quippe qui ipſi à nemine, a ſe autem omnes dependere cupiant.

126. Et his quidem artibus idiotæ, rerumq; novarum avidi, decepti & in fraudem pellecti fuerunt. Hinc male ſanarum mentium dirus morbus eos invaſit, & ad contentiones haſce in regno & Eccleſia Dei ciendas tranſverſos egit. His dolis infirma plebs irritata fuit, quæ ſponte in deterius prona eſt, & levi impulſu ad rebellionem commota, ad ſuas partes flexa & attracta, facile enim impoſturam facit, quicquid delectat, &, ut venena melleis favis ob-

lito poculo propinantur, sic & vitia sub umbra virtutum. Cum pannosa enim turba & sorditatis plurimum hæc pia prævaluit impostura qua tam diu eos suspensos tenuerunt, quoad ipsos facinaverant, & persuaserant umbram, quod dici solet, esse asinum] neque unquam ex his evertendi hujus regni tam sceleratus impetus originem taxisset, nisi tot vitiorum tam copiosa seges quibusdam levitatis vulgi radicibus subnixa fuisset.

127. Patent, ut videtis, mysteria vestra subtilitatesque vestras nemo non intelligit, & arcana quæ vel in ipsis cubiculis transacta fuere luce meridiana clarius apparent, detractæ jam vobis sunt larvæ, clancularia vestræ machinationes detectæ, & notior est vestra simulatio quam ut quempiam non rusticum queat fallere. Quos concaveritis, quid consilii ceperitis, & ob quales prætextus nemo nunc tam Davus est qui ignorat.

Cum in animis hominum tantæ sint latebræ, tam secreti & ambigui recessus suspicionem simul ac diligentiam nostram intendemus. Ex malis quæ a vobis communi patriæ illata sunt, hoc tandem boni ad nos redundavit, quod, sero licet, didicit diu deceptus populus, quantum dehinc cuiquam crederet, quibus se suaque committeret, & a quibus sibi caveret. Nostram posthac non evadetis severam trutinam, nullo modo vosipsos osculabitis, ut enim fugacissimus est semper splendor gloriæ pigmentis adumbratæ; sic & vos stelliones & Camæleontes proprio vestro perituri estis indicio. In hocque omnium mortalium infelicissimi estis, quod, quemadmodum nec pardus distinctas macularum notas, nec Æthiops atrum colorem mutare, nec ignis ardorem,

rem, nec diabolus, homicidii crimine jam inde ab ipsa mundi origine nocens, hominis odium, nec vos quidem improbitatem quà adversus bonos omnes desævitis deponere queatis.

128. Verùm quid vobis hisce artibus & fucis opus est? Privato homini aliquid astute facere fortasse concedimus, nam qui vim aperte adhibere nequit si vafre & callide rem gerat, veniam aliquam forte merebitur, iis autem qui reipublicæ præsunt cum vi & potentia polleant turpissimum est in rempublicam ipsam, & in leges patrias insurgere, & conatos suos impios specioso boni publici prætextu palliare.

129. Sed cur ego nunc ante oculos ponam peculiare illud genti ac seculo nostro crimen? Quo nihil impium magis vetus omnis vidit antiquitas, & quod sempiternum dedecus & indelebilem fere turpitudinis notam toti Christiano orbii nussit. Tacete priora secula, quæcunque veterum historiæ tradiderunt facinora, vel Poetarum effinxerunt fabulæ, tacete inquam & obstupescite. Quod unquam in terris tantum flagitium commissum fuisse auditum est? tantumque scelus? Quæ tam inhumana crudelitas, quis tam inauditus livor? Quæ tanta impudentia crudelissimæ vilitatis quæ omnem feritatis comparationem excedit? Quis nisi malis stupens, aut cui non omnino ferreum est pectus, & cor ex silice concretum, qui hoc, inter homines inauditum, facinus æquo animo ferre, quis scelus istud non visu modo sed auditu fœdum & horrendum digno satis odio persequi possit? Si paulo acrius hic egero & liberius quam par visum fuerit, tantum orationi meæ concedat lector, quantum,

pio dolori, & justæ iracundiæ concedendum putet: neque enim iracundia ulla magis laudanda quam ea quæ me in tantum scelus inflammat.

130. Mihi certe hæc scribenti, & magnitudinem sceleris animo reputanti verba vox suppetunt, horret animus, totum terrore corpus perfunditur, tremit manus, vax faucibus hæret, hebescit calamus, oculi lachrymas non retinent quoties Caroli vi cæsi imago iis obversatur. Ah pectus meum ut palpitas, ab hoc nefasto die decennium licet sit elapsum, quomodo & quoties recrudescis dolor? Et certe non longius in tam lugubri campo evagarer, nisi quod res tam inusitata accuratius paulo postulat enarrari, Cum hoc uno scelere omnia alia complexa sint, idque singulorum quæ hactenus in medium produximus sit compendium.

131. Audite itaque gentes, audite populi, non solita luctum nostrum corona circunstet, sed si patitur natura rerum, totus ad conditionem talis exempli orbis circumfluat.

132. Rem enim novam & inauditam narro, reum novum, quæstionem novam, Tribunal novum, judices novos nihil hac in re jure actum, nihil ad legum normam, nihil secundum mores & instituta majorum, per inconsuetos; & ignotos prioribus seculis tramites itum est, Moveor etiam & loci ipsius insolentiâ, Ecce enim, justitiæ quasi velum quoddam iniquitati obducentes, novum in aula regia, justitiæ, ut vocant, tribunal constituitur ad causam Regis capitis dicendam, videre ibi licebat, quod nullibi unquam gentium factum, trium regnorum hæreditarium monarcham potentissimum, die sibi dictâ, præconis voce citatum, & coram subditis

subditis judicibus comparere jussum. Quis nescit de Regum & principum decernere nemini mortalium fas esse, ipso enim in vestibulo in talia inquirentem repellit objecta veneratio, verum tantum abest ut horum oculi ad tantam Majestatem caligaverint, ut ferrea fronte capitis sententiam in Regem innocentissimum & justissimum pronunciare non erubuerint; & hanc quidem ob causam iniquum istud tribunal conscenderunt: hoc concitavit istam judicii scenam.

Quis ignorat Regem de solio suo nullo humano deturbari posse judicio? Sed de Regis capite ferre sententiam, id vere tam abominandum est facinus ut Deum ipsum, cujus vices in terra gerit Lex, petere videatur.

133. [O Superi immortales hujus regni custodes, quænam illa in hoc regno monstra, quæ scelera vidistis? O facinus, O cladibus nostris mutata natura, in jus vocatur jurium omnium Dominus, condemnatur qui solet ignoscere, non licuit Regi legem ullam condere sine populi consensu, hi verò, judicio nullo, nullâ lege, nullo jure morti addixerunt legum authorem.]

134. Verùm liceat mihi judicium hoc portentosum paulo accuratius examinare, E quibusnam, quæso, personis constituebatur? Pro judicibus scilicet considebat plebis infimæ turba miscellanea, adstabat frequens populus, & ejusdem ferinæ rabiosæ militum, vel carnificum potius, cohors, à scelestissimis Regis, & regni in hostibus pretio conducta, ut, oblato libello, quem multis in Regem contumeliosis criminibus referserant, vocari illum in jus, & cognosci de criminibus ejus postularent;

dignum

dignum quippe eum esse qui periret, & rempublicam justâ vindictâ fraudatum iri clamitarent, nisi insons capite plecteretur; & sic quidem constituta fuit actio, quæ qua sententia definiri debebat, ut populo mos gereretur, ita enim vulgo loquebantur, facile erat omnibus divinare.

135. Satis autem mirari satis stupere non possum ad singulare illud Regiæ patientiæ exemplum: cum enim, præter illibatam Regis conscientiam, legis Angliæ ratio, & officii dignitas, ab ejusmodi illegalibus citationibus eum plane eximeret, attamen cum vi & armata manu ad iniquum illud tribunal protraheretur, postquam de officio suo ipsos admonuisset, & quantam legibus divinis & regni propriæque libertati vim illaturi essent, si eo modo procederent, libere declarasset, cum se nihil admonitione sua profuturum videret, iniquissimæ sententiæ executionem non minus patienti quam forti animo subiit. In hoc Servatoris nostri exemplum imitatus, qui & ipse coram judice injusto ipse summus omnium judex constitutus fuit. Carolus Rex cum qua authoritate judices illi tribunal illud novum conscendisset inquireret; nec ad objecta crimina, quorum falsitatem omnes vitæ suæ anteactæ actiones satis superque arguerent, quicquam responderet, ut concepto diu contra ipsum odio litarent, festinatâ mortis sententiâ tanquam tyrannus & hostis patriæ qui nefario bello rempub. petivisset ad supplicium capitis condemnatur.

135. O Sanguinaria ingenia! O manus impuræ, & truces oculi! O Sicariorum viles animæ! O Christiani nominis propudia! O Scelestissimi Monarchici regiminis osores & regalis throni suffossores!

res! Quorum memoria omnis vel ex historiæ annalibus deleri vel cum summa certe infamia ad posteros & futura secula propagari meretur. Nulla certe ætas tam barbara, tamque ab omni humanitate aliena unquam exorietur, quæ ad tanti sceleris relationem non obstupescat, ejusque autores diris execrationibus prosequatur; Eóne processit ferina vestra audacia, ut non sufficiat vobis jura Majestatis pedibus proculcare, nisi etiam regio sanguine scelestas & sacrilegas manus maculetis? Deus bone! Quis unquam mortalium nisi diaboli vices sustinens in unctum Dei manum immitteret.

136. Silere non possum illa per quæ parricidii crevit imanitas, quam superba enim fuerit eorum crudelitas ad rem pertinet scire. Altius gemitus, altius, inquam, querela repetenda est. Non sufficiebat extremo supplicio in Regis insontis vitam animadvertere: Sed ipsum leti genus summam addit infamiam, & apud probos movet indignationem; quid enim gravius quam inclytum & clementissimum Regem tyranni nomine dehonestari, summumque patriæ patrem truculenti carnificis nefandæ securi cervicem præbere? Hoc certe omnibus bonis bilem movet, hoc inquam publico mærori maximum pondus superaddit, acerrimos enim dolorum causatur aculeos contumelia quâ inferior afficit superiorem.

136. Sed liceat jam in ferale illud & Sanguinarium theatrum lectorem ducere, quod ad majorem Regi invidiam conflandam, palam ante pallatium regium extructum visebatur, quem locum sane nemo in posterum siccis oculis aspicere, nemo sine gemitu transire poterit, Postquam enim tridui spacium

optimo

timo Regi, ut ad mortem sese præpararet, indultum esset, & constituta jam hora adesset, quam Regi, ut aiunt, pinnatus nuncius denunciaverat, concurrebat undique ad tam insolens spectaculum populus, fremebant ubique omnia apparatu mortis, hic ferrum acuebat, huic securis tradebatur, illi catenæ & vincula, si qua iis opus foret committebantur, sonabant clangore ferali tubæ, illatoque libitinæ toro funus ducebatur ante mortem. Tandem Rex innocens adducitur, armatis legionibus circundatus, & infame pegma conscendit ignominiosâ morte moriturus, ubique gemitus, cruor, & extremum ante oculos periculum apparet. Quis talia aspiciens non obstupuit? Quem, sanæ mentis, ad lachrymas non commovit tam horrendum facinus? cujus totum corpus frigidus pavor non percucurrit?

Nec verbis satis exprimere, nec calamo describere possum summum dolorem qui animum meum tunc temporis obsidebat. O quam solicite spectavi, & quam attonita mente? Quam ad infestæ securis adspectum quasi me ipsam petitura esset cohorrui? Reperiuntur quorum animi ad nocentium supplicia deficiant, qui ad omnem sanguinem pallescant, & ignotorum quoque miseriis illachryment, sunt quorum mite pectus, ad omnem calamitatis aspectum tremit, quis itaque tam effrictæ frontis tam ferrei pectoris, qui ad horrendum hoc & tragicum spectaculum non expavescat? Quis a fletu & lachrymis in hoc tristi casu temperare sibi queat? Miror sane quod hæc hominum monstra, non omnium in se gentium arma converterint omnium sane odia in se contraxisse certo certius est. Satis autem

tem admirari satis stupere non possum civium nostrorum oculos in tam atrocis spectaculi immanitate nullis manavisse lachrymis, Regemque ipsum, nullo suo crimine sed patriæ, legum, religionis nomine laborantem non modo nullos defensores, sed nec jacentem protectores ullos invenisse. Quinam obsecto γνησίως Angli sese tenere, & odium ab impuris sicariis avertere queant, Quare non a diris execrationibus & maledictis statim ad arma recurret tota natio? Cur non patrium illum animum majorumque virtutem induitis & truculento ruptoque aggere violentas manus carnifici injicitis & perituri Regis jugulum authoritate juris eripitis? Etiam nunc cunctamini, O ingrati cives cujus ultionem suscipietis, si regii sanguinis vindictam negligitis? Si afflictæ regiæ sorti nulla vos tangit cura, est libertati vestræ, ast fortunarum vestrarum, quarum jactura vobis extimescenda est, rationem habeatis, Famæ sane vestræ, socordiâ hac, non levem immisistis infamiæ notam, &, quod miseris ultimum est, ipsam miserationem perdidistis. Omnes vos gentes, omnia futura secula odio prosequentur, & prodigia hæc narrabunt omnes, omnes execrabuntur nisi qui forte famæ eorum fidem derogaverint. Lubens autem nunc prætermittam & silentio involvam, in hac civitate totius regni Metropoli tanti facinoris atrocitatem peractam fuisse & non vindicatam.

137. Fateor equidem sævum fuisse multorum licet mutum dolorem, neque enim rimari, nec verbis explicare possumus quæ quisque tacita mente pertulerit, extabant quippe in vultu, omnium fere, doloris publici manifesta signa, & in tetricis

frontibus

frontibus animorum indicia legebantur, sed tanta erat superba militum crudelitas, tam obfirmatus in atrox hoc regicidium vultus, ut vel astantium suspiria loco criminum haberentur, & malis suis nemo publico questu auderet illachrymari, de miserâ sorte sua Regisque latente gemitu quilibet dolere cogebatur.

138. Rex interim totâ mente morti, quam brevi subiturus erat, intentus, jamque æternitatis candidatus, rebus omnibus, quæ ad beatam διέξοδον pertinebat, pie peractis, sanctèque dispositis, abiit per tacitos populi quæstus in obitus instantis contemplatione, rebusque humanis renunciavit, postquam totam repetiisset innocentiæ suæ historiam, cui facilis debetur fides, nihil enim morientibus fingi solet, nihil vitâ laborante simplicius. Duo præcipue in votis habuit, & ut populum suum liberum relinqueret, (hoc enim nihil majus à Deo concedi sibi posse profitebatur) & ut ita inter omnes conveniret, ne respub. quicquam detrimenti caperet, & suum cuique pro merito tribueretur, jamque cruentas interfectoris sui manus expectabat, quæ omnem ei mortis apparatum ante oculos ponerent, nudavit ille jugulum, periturus non trepidavit, non hæsit mortem subire jam paratus, non modo fortiter sed libenter. Miretur forte aliquis Regem tam patienter jugulum spiculatori præbere: sed quid faceret, obsecro? Quo sese verteret jam fatigata innocentia? Ideo, inquam sponte obtulit se neci, quia sciebat grave esse Regi vinculis constringi? & volenter solere mortem subire pietatem, ad quam scelesti tantum exhorrescunt, neque ulla evasionis spes ipsi reliqua erat, circumfusis

fusis undique armatorum militum turmis, duobusque larvatis, de industria, in infami pegmate positis qui repugnanti vincula & catenas injicerent: Sic qui triduo ante à nefaria nebulonum colluvie condemnatus fuerat, militari jam brachio, penes quod pietas exulabat, traditus, in ferali hoc theatro pronus procumbit immotæ & raræ patientiæ jamjam coronandum exemplar spectatoribus exhibens. Dirus tandem sontem carnifex securim arripit, qua fatalem & tot populis deflendum & expiandum ictum inflixit, cruoremque regium sparsit, & cœlestem animam, in confinio mortis librato dolore suspensam, uno ictu corporis vinculis exsolvit, atroxque & funestum trunci cadaveris spectaculum adstantibus exposuit.

Hic finis Caroli fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit ——

Optimi sic Regis præcipitatus est dies, sic vitam, diu feliciter satis actam, infelici clausulâ terminavit Rex sanctissimus, auræ scilicet populari victima factus, & velut publici odii litamentum deliciæ nostræ immolabantur, sic plena luce ante palatium suum, à nefariis istis reipub. pestibus, in Deorum hominumque conspectu nefariam securim innoxia cervice excepit, pulchramque animam efflavit, ardensque sui desiderium in bonorum omnium pectoribus reliquit. Sic diem clausit quamvis ignominiosâ morte, glorioso tamen martyrio, &, invitis etiam hostibus, claritudinem accepit, posterisque bonæ famæ clarissimam lucem nullo unquam ævo extinguendam accendit. Sic sacrum diadema, sed

sed pedibus vulgi conculcatum, & luget & à bonis
omnibus lugetur, sic, Rege occiso, omnis ma-
gistratus auctoritas cadit, quæ a satellitibus diri fu-
roris, injustitiæ & populari libidini immolatur.

144. O diem seculo pudendum, & humano ge-
neri funestum! (ex quo τῶν ἱερῶν δακρύων ἀποφρά-
δες ἄγονται ἡμέραι) qui inclytum Regem com-
munemque parentem nobis eripuit, & paricidio
supra omnem atrocitatem horribili orbi Christiano
ademit!

145. Sic occidit nobis magnus ille Heros, flos
illa Regum, Pater patriæ, seculi deliciæ, popu-
li martyr, fidei defensor, unicum Ecclesiæ fulcrum,
nulli veterum Christianorum Regum, pietate,
justitia, clementiâ secundus, cujus occasum non
vulgari luctu prosequi decet inter fortunæ tragicæ
exempla omnibus seculis memorandum.

146. Sic occidit, principum omnium specu-
lum, Britanniæ Columen, virtutis asylum, dig-
nus certe qui Nestoris annos viveret, nisi Deo vi-
sum fuisset illum eò citius cœlestium civium tri-
umphanti turbæ adscribere.

147. Quis obsecro à lachrymis sibi temperet?
Quis ejulatus coercere queat? agnoscens Regem
nobilissimum, tam fœde tam immerenter, tam por-
tentose à propriis subditis mactatum. An ego, affli-
cta Ecclesia & tam insperato fulmine consternata,
in cæde defensoris mei, & tam publica causa, la-
chrymas cohibere & rationis in questus soluta frena
adducere potero? Adeo certe me vexat indignitas,
torquet impietas, ut non possim magnitudinem ja-
cturæ meæ dissimulare, aut in tam acerbo luctu non
omnes dolori habenas laxare.

148. Permittite

148. Permittite itaque vos inclyti magnæ Britanniæ cives, & ejusdem Ecclesiæ liberi genuini, permittite ut vestro nomine tam alti vulneris sensu afficiar, & inconditos gemitus, quos acerbitas mali exprimit, in justi mæroris argumentum proferam; Vidi, enim, vidi, & illum hausi dolorem in hac vita acerbissimum Carolum è sinu gremioque patriæ, & Ecclesiæ abstractum.

149. Neque enim (decennium licet à nefando isto die sit elapsum) sera est hæc pietas, quia seria. Nec timeo Tiberii jocum quasi pari jure Ilienses Hectorem, ac nos Carolum lugeamus. Filios enim in parentum funere statim in querula verba erumpere indecorum habetur, aliquid stupori concedendum, aliquid mærori. Doloris inseperabilis Pedissequa est silentium, dum per singultus verba enecantur, mensque ipsa, doloris magnitudine oppressa, largo lachrymarum flumine inundatur, pene serum est quod a voce impetratur, & tunc maxime luctus loquitur, cum magna sui parte exhaustus est. Merito itaque & recte per tot jam annos tacite doluimus quoniam inauditi hujus facinoris atrocitas, & stuporem animo incusserat, & linguæ, ne solito defungi possit officio, vincula injecerat. Verum liceat nunc nobis furibundi doloris reliquias verbis discutere: Fati injuriam pene est ut incusem! Adeone sævo ictu adversus mortalium vota grassaris ut privata non placeant funera? quia & beneficum, & parentem, & Regem, & terrenum ut ita dicam, numen, & Carolum abriperes? an furori tuo non sufficiebat plebea turba? nullone alio sacrificio placanda erat ira tua nisi regiâ victimâ tibi litaretur? num & Dijs etiam parantur cædes & sepulchra?

 putabam

putabam immortalem esse numinum gentem Carolumque nostrum, ob singularem pietatem et beneficentiam, longiorem inter homines moram promeruisse, verum heu dolor! ante diem, inopinato casu, hunc mihi ereptum esse doleo. Sed facilis est pietatis error, et sincero imputandum est affectui si doloris insolita verba paulo acrius erumpunt. Non enim sors principum a Christianis deploranda, aut natura iniquitatis accusanda est, nec fata objurganda, aut ineluctabiles (nec ullâ, ut videtur, virtute mutabiles) umbrarum leges culpandæ, nec superi, quasi inique nobiscum egerint, arguendi sunt. Noluit enim magnus ille arbiter Deus fulgentissimum hoc Britannici imperij sydus in nostri tutelam diutius perlucere, noluit cælo dignum in corrupto hoc seculo diutius in terreno hoc pulvere volutari. His itaque querelis nostris modum et terminum statuimus, et pium esse et salutare agnoscamus regij vatis Carolique effatum, *Tacui Domine quia tu fecisti.*

151. Liceat tamen nobis, si non querelas nostras, laudes certe ejus meritas enumerare, consternavit certe nos publica æque ac privata hæc jactura: quando enim Carolum amisimus, eo orbati sumus in quo Patriæ, Ecclesiæ, et nostra omnium salus nitebatur.

152. Carolo enim erepto toti orbi Christiano pariter ereptus est Rex omnium gratiarum genere redimitus et coronatus; Rex, si quis unquam mortalium, sanctus, justus, clemens, cujus encomia per totum terrarum orbem gloriosa fama sonorâ suâ tuba publicavit, Rex cui, ob spectatam virtutem, tot ora, tot populi applauserunt, Rex quem diu, magnoque studio virtus elaboraverat, ut esset quasi

unicum

unicum perfectionis exemplar in quem omnium oculi figerentur et cujus laudes omnium eloquentiam exercerent.

153. Carolo erepto, huic seculo pariter ereptum est, pudicitiæ ac temperantiæ delubrum, prudentiæ sedes, fortitudinis arx, justitiæ metropolis, humanitatis pernu, ut uno verbo complectar, omnium virtutum compendium.

154. Carolo erepto, ereptus est pariter cujus vita sanctimoniâ clarebat, & in cujus incolumitate (tantum instar in eo erat) Ecclesiæ felicitas, legum vis, populi salus sita erat; Ipso nimirum oppresso, regnum hoc, non ita pridem potentiâ & opibus inclytum, miserrime in partes distractum, & legitimo Rege viduatum, vis omnis internæ, externæque fraudis spolium factum. Nec video plane cur cæteri Reges stabilem fortunam suam fore arbitrarentur, cum funesto illius diei exemplo viderint seipsos quoque omnibus fortunis spoliari, & regno, vita, uxore, liberis, subditis, bonis denique omnibus posse privari.

155. Carolo erepto, ut tandem tristem hanc tragediam expediam, ereptus est ille cui fidelitatem juramento, non semel, totus trium nationum populus spospondit; ereptus est is, inquam, in cujus persona jus gentium, fas legum municipalium, jus denique ac fas omne quod mixte concipi potest, impiâ fraude temeratum fuit. O superi immortales! itane ad hominum scelera maxima connivetis ut tanti facinoris pœnas diutius procrastinetis? Sed differatur ad tempus, non auferetur sed eo gravior reddetur vindicta.

156. Verum quo delabor si pro merito laudes

tuas evehere vellem? O Flos Regum Carole, tempus mihi citius & oratio quam laudandi materia deficeret: quæ itaque eloquio nostro digne exprimere non possumus, admirationi tot populorum, quibus tua gloria innotuit, transmittamus, unicum hoc saltem addemus, omnem tuam vitam & pie actam & sancte peractam, teque tantum inter cœlites ævo frui sempiterno, Deoque adjunctam cælestis gloriæ non perituram hæreditatem jam possidere, cumque sanctis regnare & corona immarcescibili redimitum esse.

157. Cesset igitur jam luctus, cessent lachrymæ & querelæ, quas indignum Regis optimi fatum elicuit; quem præstantiorem esse judico, quàm ut a me digne laudari queat, feliciorem quàm ut lugeri debeat. Neque in his copiosius enarrandis diutius jam immorari libet, cum tædium pariat tristi ac molestæ narrationi diutius insistere, cum de reipsa satis constet, nec indigenas solum quibus hæc omnia obviam occurrunt, sed et peregrinos, ad quos hujus facinoris relatio pervenit, alloquor, ut quemadmodum gloria ejus jampridem pervagata est orbem terrarum, ita quoque omnes gentes ac nationes communis luctus participes fiant.

158. Neque enim consceleratorum factio tantum unquam in se scelus concepisset, ut in regiam vitam conjurarent, nisi legum judiciorumque contemptus, velut pestilens aliquod sydus, eorum animos afflavisset. Non primâ facie latens animo venenum sese prodebat, nec ulcus intimis hærens visceribus statim erumpebat. Adeo nimirum difficile est confestim impudentem fieri, & omnem antiqui moris observantiam, & religiosam erga Re-

gem

gem, cui assueverant, venerationem protinus exuere. An arbitramini subditos, omni cautione, fœdere, sacramentis vinctos, moribus majorum alligatos, legum sacrarum catenis constrictos, statim & primo quasi in limine ad illam horrendi criminis legem sanciendam progressuros? I carnifex, Regem tuum ad necem ducito, si tibi resistat, deliga ad palum, manus vinculis astringito, caput amputato: Verecunda scilicet sunt initia peccati, et nemo repente fuit turpissimus; Postquam autem semel occasionem invadendi majestatem arripuerunt, solutâ subito omnium obligationum curâ, quasi prægustato sanguine, nullam deinceps facinoribus & impietati metam ponebant. Efficit res ipsa, huc redacta, pessimos subditos, & oderint imo enecent oportet Regem cujus justitiæ satisfacere nullo modo possunt. Ubi semel perduelles fas omne calcaverint, & juris fines transierint, Hos certe satis constat post hæc religionem ipsam nihili æstimaturos, nec quiquam pensi res humanas sacrasve aut divinas habituros. Et vereor equidem ne æternam habitura sit labes ista ignominiæ memoriam, & perpetuam christiano nomini notam inustura, nisi quod horrendæ istius cædis invidia a publica bonorum omnium conscientia fuerit remota, & paucorum tantum, eorumque ab Ecclesia alienissimorum, improbitati & crudelitati merito sit adscribenda.

159. Non desunt tamen nigræ animæ, tamque insignis impudentiæ stigmate notatæ, quæ patrocinium, quale quale, eorum qui hoc facinus patrarunt, suscipere non Erubescunt. Vertant autem sese in omnes formas qui, quo jure, quâve injuriâ eorum tyrannidem defendere, conantur, non tamen

 efficient,

efficient, ut ab immanitate barbarissima excusent portento sum illud nomen, nescio an dolendum magis, an execrandum *Homi-pari-regi-dei-Carolici-dium*.

160. O quot mendacijs tentant crudelissimi parricidæ tam execrandi facinoris scelus extenuare & diluere? quas non excusationes impietati suæ prætendere annituntur? Maxime bilem mihi, bonisque omnibus movent amarissima ista inimicorum convitia tam improbe in optimum Regem conjecta, scilicet ut regia dignitas in animis hominum magis magisque evilesceret, & uncti Domini majestatem facilius prophanarent, campum suum, id est convitiorum latifundia liberrima exspatiantur, existimationemque Regis, ejuratâ omni reverentiâ, falsis accersitisque accusationibus onerant. Omni ingenio omnes angulos excutiunt, si quid forte usquam deprehendant quod pientissimo & sanctissimo Regi contumeliam aliquam affricare, aut invidiam conciliare queat. Nihil intactum, nihil inexploratum relinquunt, imo in bona sua, ut vocant, Causa, Momi personam agunt, hoc unice in votis habentes famam ejus illustrem, quam undique circumfluentem ferre nequeunt, maledictis deterrere & depeculari honoris omnis insignia convellere, & quæcunque possint ratione, tam venerandum nomen allatrare.

161. Oculi eorum invidiæ fascino adeo deluduntur ut nihil videant, nisi quod in malam partem rapere valeant, eorum linguæ procaces non nisi tela amentata intorquent, Regis infamiam suam æstimationem augurantes omnia ab eo optimo consilio perfecta suggillant, suspicionibus onerant & in pessimum

pessimum sensum detorquent, infortunia lapsusque mirum in modum exaggerant & vel ipsâ adversante fortunâ iniquius exagitant, & provoluti effusique in contumelias in sacratum ejus nomen styli sui mucronem distringunt, idque iniquis rumoribus undique aspergunt opprobrijsque arrodunt quæ in patulas & nimium credulas imperitæ plebeculæ aures indesinenter insusurrant, nullumque ludibrij genus prætermittunt quo nocere & optimo Regi aliquam infamiam inurere queant.

162. Infensum eo tempore Regi esse populum non erant nescij, ideoque fore putabant ut exulceratis animis facilius vel conficta crimina insiderent. Habet enim hoc populus a natura sibi inditum ut optimos rectores ægerrime patiatur,& cæco semper impetu ruat in præcipitem licentiam,si moribus suis relinquatur, multo autem magis adhuc accenditur falsis suggestionibus, quæ speciem aliquam veri præ se ferunt, seductus. Hinc ortæ vociferationes istæ impiæ in Regem quasi crudelissimum tyrannum editæ, hinc falsæ criminationes ad summam usque invidiam instructæ, & exaggeratæ, &,ne quid ad explendum fraudis cumulum deesset, sycophantæ subornati qui in quæcunque verba juberentur jurare non detrectarent.

163. Sed quænam, quæso, sunt ista quæ tantopere obijciunt, aut qualia quæ in tanti facinoris patrocinium afferunt. Regem, scilicet, aiunt in omnibus muneri suo defuisse, convitijs eum proscindunt quasi uxorium, imprudentem, pontificiæ religioni addictum, avarum, & si quod aliud occurrat nomen vulgo invisum. A parliamento suo decessisse eum blaterant, pravisque consultoribus,

ijs, qui optima consilia ei subministrarent, valere jussis, usum fuisse per Episcopos novas ceremonias, Etiam inter cultûs divini ritus, papismi subsecuturi prodromas induxisse. Tyrannidem eum affectasse, multaque patrasse in Scotia quæ propediam hic in Anglia quoque peragenda fuissent reipub. Anglicanæ omnino perniciosa & legibus exitiosa, vim denique atque authoritatem parliamenti eum oppressum ire, quo ipse, quasi fræno solutus, in bona, corpora, & animos subditorum solus dominaretur. Hujus suæ potentiæ stabiliendæ causâ graves contributiones a populo exegisse, Intestinum & atrox bellum commovisse, contra leges patrias arma in bonos & innocentes subditos suscepisse. Papistarum dilectus habuisse & cum ijs qui a reformata religione devij & alieni erant armorum simul & vitæ societatem iniisse, solicitasse quoque pretio Anglorum & Scotorum exercitum ad urbem Londinensem deripiendam, & in Parliamenti exitium. Acerba hæc sunt & gravia, verum ulterius progressa est effrænata eorum malitia, nec prædictis eorum in Regem suum exsaturatum fuit odium, quin ad majorem ei conflandam invidiam, rebellionis quoque Hibernicæ reum eum accusant.

164. Istæ scilicet sunt rosæ quas optimi Regis capiti aspergunt, istæ artes quibus gloriosum se regem facturos gloriabantur. Hæc objecta crimina quæ malevoli homines, etiamsi veritati è diametro contraria, confingunt, &, qua est improbitate pessimorum hominum audacia, ea non sine verborum ornatu, & quasi quodum lepore in vulgus diffundunt, ut in furias agant imprudentium animos, exertasque discordiarum scintillas late circumferent

ad

ad excitandam totius regni flammam. Cum talia, revera, hæc sint omnia quorum rex optimus nullam habuit cognitionem, & quæ vel lippis & tonsoribus primo statim intuitu conficta apparebant. Tanta enim in vita sanctissimi Regis elucebat innocentia, & probitas, ut vel diaboli ipsius criminatoris os obturaret, dominatioque ipsius tam mitis, ut inimici ejus nihil habeant præter calumnias & conficta crimina quæ ei temere & falso objiciant.

165. Sed dispiciamus nunc quid in promptu habeamus quod illorum criminationibus regeramus. Crimina hæc, cum verbosa tantum sint, nihilque veri admistum habeant, facillime negando dilui poterant; sed quædam tamen hoc in loco proferre placet quibus eorum retundamus impudentiam, & quæ duræ eorum fronti & insolentiæ opponamus. Huic autem provinciæ licet impares simus, pudore tamen suffunderemur, si, cum tanta a rege beneficia acceperimus, eumque tantæ pietatis laude excelluisse cognovimus, justum illius patrocinium non susciperemus. Conati itaque sumus, pro viribus, ad præcipuas singulas eorum criminationes compendio respondere; quod si ea quæ dixerimus non satis quibusdam videbuntur efficacia, eos ad prudentiores remittimus, magisque idoneos confutandis hujusmodi factiosis criminationibus, & qui de industria provinciam istam susceperunt.

166. Et mihi quidem videtur hoc exordium defensioni regiæ maxime convenire, ut ad ea, quæ accusatores deformandæ hujus causâ spoliandæque a sua dignitate gratiâ objecerunt, breviter respondeam. Primum criminationis caput iis est Tyrannidem eum affectasse, *&c.* Hoc, fundamenti instar,

ſtar, ſubſternunt, cui reliqua ſuperſtruere viſum eſt, ut eo melius populus deciperetur, quod, quamvis ab imperitis quibuſdam, & harum technarum ignaris, creditum fuit tamen a ſanioris judicij & religionis hominibus, tanquam falſa, et ab omni veritate aliena ſuggeſtio pænitus rejectum fuit. Feſellit itaque vos ſpes veſtra qua futurum credebatis ab univerſo populo tam inſulſa commenta receptum iri, quamlibet enim famam optimi Regis hiſce ſuggillare, & morſibus iſtis eum petere non deſinatis, nemo tamen eſt qui ignoret colorem hunc eſſe patrocinij veſtri & defenſionem ſceleris veſtri diu a vobis ante factum, excogitatam. Tyrannidis illum inſimulatis quam omnino alienam ab ipſius genio fuiſſe, & abhorrentem a ſanctis ejus moribus nemo ignorabat. Manſuetiſſimum principem crudelitatis reum peragitis cum nimiam potius in vos clementiam & indulgentiam ei poſſimus imputare. Non efficiet certe hæc oratio veſtra (Jeſuitica licet omnis ſuada labijs veſtris inſideret) ut ulla fides, hac in re, vobis a probis hominibus adhibeatur: nam, ſi vera fateri velletis, omni abdicatâ invidiâ, in ſumma vos libertate nati non modo in pace non tyrannum, ſed nec in bello eum experti eſtis alium niſi principem clementiſſimum. Quis enim, quæſo, quis, inquam, tot fortunæ telis agminatim in ipſum irruentibus adeo ſapienter & pacato animo reſtitit? quis in tam iniquis temporibus moderatius clavum tenere potuit? quis, quæſo, in tam aſperis hiſce temporibus, quibus effrænis malevolorum licentia jus faſque omne ruperat, labanti patriæ majori pietate ſuccurrere ſtuduit? Plura certe bona ſubjectis ſuis voluntarie conceſſit quam ab ullo

principum

principum rogare fas erat, ut mihi beatiores visi sint qui bonitate ejus fruerentur quam ipse qui tam multa concessit. Quoties in procinctu steterunt magnæ utrinque acies, & jam ad conferendas manus paratæ? tamen, non semel, non modo sine vulnere, sed sine ulla noxa, eximiâ Regis clementia utrinque discessum est. Nonne ijs, quibus invisa erat pax, pacis amantissimum se præbuit? quot tractatus, quot, inquam, conventus pacis restituendæ ergo institutos primores militiæ vestræ abortivas fecerunt? Instabat tamen ille nihilominus importune, opportune, blasphematus obsecrabat, injuriæ illatæ apponebat scutum patientiæ, & bono malum vincere gestiebat, quando armorum causam vos quærere videbat, scelus & furorem vestrum cedendo maluit frangere, quam resistendo. Nonne mira erat moderatio ejus & laudabile consilium quo justo dolori, & vindictæ potius fræna inijcere, quam eadem se re ulcisci qua esset lacessitus? totque jam funeribus patriæ exultantes & tripudiantes hostes conatus est potius legum, si posset, laqueis constringere, quam vi & armis ad officium redigere? Nonne fortiter amando amorem sibi conciliare studuit, & obsequio pene dixerim & adulandi officio in benevolentiam vestram quasi irrepere, ut consopitum in vobis pacis studium suo exemplo resuscitaret, & opportuna moderatione irruentes bellorum faces extingueret? Sperabat quippe Rex sapientissimus leviori impulsu & faciliori se exarmare posse irruentes clementiâ suâ quam arma furentibus opponendo: Noverat etiam, in tanto animorum turbine, per æmulæ superbiæ contumaciam lacessere velle paulo aliquid supra dementiæ malum fore.

Omnia

Omnia itaque mitiora prius tentabat quò rebelles ad meliorem mentem reduceret; Quis non sperasset hisce remediis lenientibus malum consopitum iri, & collatis in pacis promotores honoribus omnia pacata fore? quis non expectasset ex fide quæ illorum promissionibus præter æquum habebatur justiores eos futuros? adeo certe absuit rex mansuetissimus a tyrannidis invasione, ut ab omni rigore in eos plane abstinuerit, & melior apud ipsum conditio esset hostium, quam amicorum, qui eandem cum ipso aleam subibant.

168. Verum decidit Rex optimus, cum omnibus bonis, spe ista pacificandi: cum enim Rex omnia sincere & bona fide ageret, adversarii subdole & fraudulenter procedebant, minimeq; rex improbitatem suspicabatur cujus animus ab improbitate liber ac purus erat. Mansuetudinem enim & sinceritatem ejus hi ingrati in contumaciam vertebant, & ex impunitatis spe flagitiosissimis hominibus major ad peccandum libido accendebatur.

169. Feræ ipsæ bestiæ cultu mansuescunt, & pecoris generosi pullus humanitatis ingenio docetur exuere feritatem, & blandis gaudet magistri laudibus, & plausæ sonitum cervicis amare. Horum vero hominum animos Regis clementia adeo non mitigavit, ut, non secus ac si beneficijs magis magisque irritarentur, (quæ sane immanitatis ultima linea est,) eo ipso tempore quo melius cum ipsis agere incipiebat, de authore felicitatis perdendo, (O feras indomitas) cœperint inire consilium, quo ipso sane non leve dederunt cunctis regibus documentum, humanitatis officijs cum perduellibus, ijsdemq; zelotis, velle certare, nihil aliud esse quam operam perdere & littus infeliciter arare. 170. Non

170. Non equidem negandum eſt, in tanto belli turbine, tantoq; animorum & armorum ardore, quædam, etiam ex parte regia geſta eſſe quæ reprehenſionem effugere non poſſunt; ſed hoc non concedo ut quibus in rebus vos ipſi gloriamini eaſdem in aliis reprehendatis, neq; enim fas eſt eos in aliorum facta acerbe inquirere qui propriarum actionum bonam rationem reddere nequeant, ſed male agendi duces & authores ipſi extiterunt. Quid eos crudelitatis arguitis, cum vos tanta tamq; acerba mala cruentè & hoſtiliter commiſeritis? nonne à veſtris militibus terra omnis vaſtata, ſegetes exuſtæ, aut hominum equorumq; pedibus contritæ. Sed levia hæc ſunt & bellorum omnium individui hi ſunt comites. Inermem autem & imbellem turbam intactam veſtri non reliquerunt, imò ceſſante belli impetu non abſtinuerunt à cædibus, exultantes ſuper ſtratorum corporum ſtrages, & palpitantibus adhuc cadaveribus alacri animo inſultantes. Num quicquam tale à regia parte admiſſum eſt? nonne noxa quam ei imputatis ſecreto conſcientiæ veſtræ teſtimonio eam eximetis? quid tale ab iis admiſſum quod à vobis multis paraſangis non ſuperatum fuerit? Unde factum eſt, hæc cùm vos illis vitio vertitis, facti eſtis vobis ipſis in arcum doloſum, qui percutit dirigentem. Dolenda interim eſt ſors principum ubi vi juſtæ dominationis crudeles eſſe coguntur, ne miſericordia illis in miſeriam vertat.

171. Nec eſt quod hoc ſpecioſo utamini patrocinio Regem juſtis ſubditorum petitionibus tyrannice aures ſuas occluſiſſe, æquum autem eſſe omnium petitiones exaudiri, omnium preces admitti,

nec in libera repub. cuiquam juris potiundi potestatem intercludi debere; Fateor equidem nihil hac re æquius esse, si sano judicio res æstimetur, vestrâ autem culpâ hoc accidit, quòd reverenter uti libertate nesciveritis, nec quicquam capitalius existet publicæ securitati, si hoc refugio liceat abuti ad vim juris & legum, ad regiam, inquam, dignitatem & authoritatem infringendam. Perniciosæ etiam fateor sunt voces istæ, & plerunq; exitium attulerunt suis authoribus. Id justam esse quod Domino Regi futurum sit utile, Principem legibus solutum esse; Nihil turpe vel injustum censeri oportere quod sit cum aliquo fructu aut commodo conjunctum, Rerum Dominis licere quicquid libeat, Abeant in Morboniam detestanda hæc Tyrannorum dicta. Quanto præclarius & æquius sensit maximus ille & sapientissimus principum beatæ memoriæ Carolus, qui legibus se alligatum esse professus est, à quo cum multa alia sint moderate sapienterq; dicta, vel facta, tum nihil ad æternitatis famam gloriosius, ad exempli normam justius & utilius esse potest. Ut excelsæ, inquit, magnitudinis est posse quod velis, ita summæ bonitatis est velle quod debeas. Deus ipse cujus est imperium in reges timendos, qui cuncta suo sub numine torquet, voluntariis tamen legibus, tanquam pactis conventis se astringit. Num hæc tyrannidem sapiant, æquis judicibus æstimandum relinquo.

172. Alterum tyrannidis regiæ specimen afferunt declamationes in avaritiam ejus, & habendi libidinem comminiscentes. Et Regem, aiunt, invitis legibus, populos novis portoriis & vectigalibus

Has impositiones publica necessitas aut legum non vanus obtentus cohonestavit.

galibus exercuisse. Cui objectioni ut plenissime respondeatur, ad legum peritos, qui hæc ab eo jure facta esse asserebant, scrupulum hunc moventes remitto. Qui autem potuit aliter huic labenti reipublicæ succurrere? Quis vestrum, obsecro, absq; pecunia publica necessariorum quicquam peregit? quis, inquam, pecuniam sine exactione publica unquam ærario intulit? Et quoniam leges jactatis publicas hasce exactiones vetuisse, nonne judices, legum vindices, statuebant, summâ rerum, & ærarii penuriâ urgente, tales exactiones legitime à Rege imponi posse? Multa sane ejus exstant opera publica quæ sine magna impensa perfici nequeunt, & classes magnæ proprio ære exstructæ, in quibus precipuum robur regni consistit, & sine quibus mercatura & navigatio tutò exerceri non possunt, quantum his pecuniæ annuatim pro salute regni impendendum nemo est qui non intelligat, & hoc sine aliquo subditorum, qui beneficium inde recipiunt, onere fieri non potest. Sæpius audivi Regem ingemiscere solitum, cum paulo duriora, quam aut populus, aut ipse voluisset, tributa imponerentur, quod sane avaritiæ ipsum non accusat.

173. Porro ad majorem regi invidiam conflandam, atrocius ei crimen, nescio quid, veneni affingunt. Quæ res, etsi à veritate longe sit alienissima, tamen, à consuetudine eorum nequaquam abhorret, & tam apertum calumniæ genus est, ut non videam cur pluribus refellam, mera enim est hæc fabella veteris poetriæ, & sine argumento, neq; ullam hac de re testem producere potuit malevolorum rabiosa cohors, nihil quenquam unquam rescivisse, nihil de hac re inaudivisse unquam apparuit,

ruit. Non est igitur quod de horrido hoc commento gloriemini, vos generis humani impudentissimi, hujusq; invalidæ fictionis & calumniæ fraudulenti artifices, non enim cadit, non, inquam, cadit in mores tam sanctos, vitam inculpatam, non in tam candidam mentem ista tam abominandi sceleris indigna suspicio; nec unquam eam vim obtinebit ista accusatio, ut huic mendatio ullus non malevolus fidem adhibeat.

174. Regiam deinde sobolem quasi syderatam, & de cœla tactam radicitus exaruisse deblaterant, familiæque *Stuartinæ* supremum denunciant exitium, & a legitima in Regno successione, nescio qua revelatione, (nam & hæc a fanaticis prætenditur,) moti excludunt, idque populo audent polliceri, cujus olim Deus Cyro spem fecerat, *Subijciam* ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam. Et hoc modo S. Scripturæ authoritatem in suum sensum detorquent, ut sub specie divini præscripti scelera sua impunius perpetrent.

175. Næ tu pusille quisquis es qui hæc impio ore effutis, divinæ vindictæ ultrices minus non metuis qui Deum ipsum scelerum authorem & approbatorem constituis? næ tu mortalis qui tam perfrictâ fronte secreta Dei rimaris, & in ejus arcana sacrilegos immittis oculos. Ad nefarij hujus facinoris audaciam non exhorrescis & contremiscis? Noli profane in divinum irrumpere conclave, humile ejus ostium est, cave ne capite impingas & ad inferos usque ipsos resilias: qui enim scrutator est majestatis ab immensa opprimetur gloria. An tu reconditas a Deo humanarum rerum causas in tuam & vulgi notitiam perducere aggredieris? &

in

in arcana quæ Deus sibi soli reservavit, & in interiore divinitatis sacrario recondita sunt pusillum tuum immittis ingenium? Obstupesce Cinis & a nefarijs istiusmodi ausis abstine, ne Titanum tibi contrahas supplicium. Videmus in rebus humanis nihil certi esse, nihil explorati, fluxas opes, lubrica regna, quæ levi impulsu consternata, paucis seculis labant, fatiscunt, cadunt, pereunt, & in nihilum rediguntur. Pauca admodum imperia mille annos excessêre, tandemque illa sine decore consumptis viribus pigro quasi situ obducta concidêre. Ea, quam tanto ambitu quærimus, gloria, res omnium est vanissima, honores & magistratus desultorij & qui crebrius ad immerentes devolvuntur, ita ut neque in felicitate ipsa neque in rerum amplitudine quisquam sibi tantillum certi polliceri possit. Imo universa mortalium vita innumeris plena est miserijs, neque aliquid existit homine infelicius, rege fragilius. Omnium rerum in se remeantium gyrus est, & quidam velut orbis, qui ut temporum sic regnorum vices vertit; adeo ut si arma quiescant, & vis omnis externa cesset, suo tamen oneri cedunt, & subsidunt pondere. In cælo denique ipso nasci aliquid mortale cernimus, de latentibus tamen causis quibus imperia non modo labefactantur, sed ab imis fundamentis convelluntur, & ad summum perducta, ad infimum relabuntur, tuum certe non est pronunciare;

Num quisquam adeo altas nobilitatis suæ radices egit, ut se continuatione quadam, & stirpis serie non interrupta, non claudicante, Regum centum & decem progeniem posset ostendere? Majores certe ejus a Fergusio per duo millia annorum gentis antiquissimæ, & bellicosissimæ imo perfidissimæ frena tenuerunt.

ciare hæc, inquam, ab ipso mundi exordio transacta fuisse ex historiarum monumentis], cognovimus. Hæc hodierno die videntibus nobis transigi experimur, imbecillitatis ergo nostræ nobis conscij non rimari ista, non scrutari, aut censoriâ nostrâ virgulâ notare debemus. Solus Deus in eodem felicitatis fastigio constanter permanet sine ullo sui dispendio aut incremento, cætera omnia variantis naturæ vicissitudine, & assiduo circumactu nascuntur denascuntur, oriuntur aboriuntur, volvuntur revolvuntur, & in fati servitutem veniunt. Et mihi quidem, si proprium & verum nostri mali nomen quæratur, fatalis quædam, si ita vis, calamitas in nos, (qui delictis nostris talia commeriti fueramus) incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupasse, ut nemo dehinc mirari debeat humana consilia divinâ necessitate superari, & cœlestes causas, cur hoc vel illo modo res humanas agunt, nullam fluxæ nostræ naturæ rationem debere.

176. Alia adhuc objectio diluenda nobis restat, discessus, scilicet, Regis a Parliamento, Hic imprimis in regem urgetur, huic omnium malorum origo assignatur. Verum cum in tantis desævientis populi turbis & clamoribus nulla esset vel legum vel Regis authoritas, cujus vita ipsa in maximo versabatur periculo, discessus illius causam non voluntati Regis, sed amentis turbæ armatæ violentiæ adscribendam esse quis non videt. Videbat quoque rex sapientissimus, quam in arctum res suæ publicæ deductæ essent, & quod rerum novarum metum prætendentes, res novas moliebantur turbarum authores, quodque religioni, legibus, dignitati regiæ & authoritati vim inferre decreverant; recte itaque declinavit

declinavit absentiâ suâ irruentem accensæ, per sectarios, plebis violentiam, sperans forte scelus ac furorem eorum cedendo potius se frangere quam resistendo, & rem publicam non minus a magnis periculis absentiâ, quam præsentiâ suâ liberare se posse, & furibundum populum, adempto in quod sævitiam suam effundere statuerant objecto, ad saniora rediturum consilia.

177. Superest unicum adhuc in quo spes omnis profligatæ causæ pendet argumentum, in quo firmamentum ac robur totius accusationis positum est. Arma scilicet sumpsisse Regem ut authoritatem parliamenti, populique Anglicani libertatem legesque everteret. De quo ut de cæteris dicam breviter, nunquam Regem copias, quas habuit, conscripsisse quibus inferre bellum populo suo statuerat, sed quibus se ab infestis inimicorum incursionibus tueretur. Nonne senatus tanquam intenso arcu in illum unum, & eos, qui partibus illius fideliter adhærebant, collimabant? nonne palam tela in eum jacta fuerunt, clam subministrata? nonne omnium scelerum quæ a tot jam annis per hostes publicæ tranquillitatis conflata erant, ac veteris furoris & audaciæ atrocitas in eum irrupit? nonne homines furibundi ac perditi, & Monarchico regimini infensi, & salutis communis inimici curiæ insidiabantur, eamque vi armatâ obsidebant? nonne subita manus perditæ plebis & juvenum, quos Tyrones, vel vernaculo nobis vocabulo apprenticios vocant, ante lucem ad palatium emissa regem invasura in Augustam domum (quæ assylum præstare debebat cuivis injuriâ oppresso) impetum fecit, eumque in-

ermem & imparatum alij gladijs, alij malleolis & fustibus, vel quibusvis, quæ cæcus furor suggesserat, armis adorientes, plura ei, & indigna & atrocia, nisi postulatis annuerat, comminitabantur? Cum igitur omnia vi & armis egeritis, cur indigne accusatis regem quod debito se præsidio contra insultantem plebis fæcem munierit? An soli Regi non licebat quod a natura omnibus concessum est, se defendere & ab injurijs tutum præstare? Cautus sane copias construxit, non ut vos oppugnaret, sed ut suam ipsius vitam & authoritatem, imo ut leges Angliæ, ut religionem & libertatem, quæ omnia periclitari prospiciebat, defenderet. An qui sua tecta defendit, qui ab aris, focis, ferrum, flammamque depellit, qui sibi licere cu. it quod omnibus licet, tutum esse in curia, in templo, in foro, ullam alicui infert injuriam? an qui vulneribus, quæ cernit quotidie infligi monetur ut aliquo præsidio caput & cervicem & jugulum & latera, tuetur, ullum incurret culpam? Hunccine de vi jure accusandum putetis? vah! pudeat vos tam iniquæ criminationis. Est certe a natura ita constitutum, nec ullo jure id vetitum est, ut se omnia animantia, salutemque suam, quantum fieri potest, tueantur, eaque quæ adversa sunt longe a se summoveant, quanto magis homini id licet, imo quanto magis Regi, qui si contra turbatores pacis publicæ arma arripuerit, si aciem direxerit, si fideles sibi subditos in auxilium vocarit, non quod vim inferre voluerit accusandus est, sed quod vim sibi illatam propulsare studuerit, merito laudandus. Bellum enim non nisi coactus, & magna necessitate ad id impulsus, gessit; quicquid autem illud est piaculi quod in hoc commissum est facino-

re, quod subditi arma susceperint contra legitimum Regem, hoc vobis, quibus rerum novandarum studium cordi publica autem tranquillitas invisa erat, jure imputandum omnes gentes existimant. Vos, inquam huic regno causa belli, causa periculi & exitii fuistis, ut a seminibus productio fit arborum & stirpium, sic vos hujus luctuosissimi belli semina produxistis, & in exitium totius gentis per tot jam annos infeliciter fovistis.

178. At vero papistas et exteros in belli societatem & auxilia admisit; At vero annon jure gentium ubi offensio est illicita, defensio, quibuscunque modis & medijs fiat, licita est? Annon idem suadet ratio ut vita, salus, patria quibuscunque armis, nullo admisso religionis discrimine defendantur, & ut quassatum imperium exteris etiam sublicijs, si alia desint auxilia, fulciatur.

179. Et quoniam leges jactare soletis, O peritissimi juris hominum, nonne Rex de jure suo & regijs suis prærogativis verbis prius quam armis litigavit? nonne summâ agebat authoritate, consilio summorum ordinum, perque majorum & bonorum omnium exempla, et venerandæ antiquitatis monumenta militiam regni omnem jure regio et hæreditario in sua potestate esse debere luculenter probabat? nonne, integrâ adhuc re, multa de pace agitavit consilia, optime enim noverat Rex prudentissimus, quam incertus esset exitus et anceps fortuna belli, imo in ipso belli ardore, eadem, cum suo & patriæ periculo, sensit? Et quoties victor erat, viros, pacis amantes, & quibus tranquillitas cordi erat, delegit, qui pacis conditiones victis offerrent, tantum, scilicet, ipsius victoriæ ferocitatem perti-

 muit,

muit, quæ omnia apud æquas rerum æstimatores manifeste probant, quam aversus a bello esset, & maluisse ipsum non dimicare potius quam vincere.

186. Quid, quæso, ageret rex tanta vi oppressus, & necessitate summâ impulsus, tot opprobrijs & injurijs inflammatus? cum jam audacium hominum, & regni & Ecclesiæ eversorum scelera jure ac legibus amplius frænari non posse perspiceret, cum res publica vi & armis violata ab iniquissimis hominibus opprimeretur, quid consilij caperet? num legibus judicijsque sublatis, susceptam causam justissimam affligeret? seque domi contineret, & a regia dignitate abdicaret, & suum, subditorumque cervicem, libertatem, leges, religionem profligatissimis mortalium conculcandam prostitueret? Certe sic vinci turpissimum recte putabat, & arma potius tentanda, vimque vi repellendam esse, cum jure ac legibus agere non amplius liceret, æquissimum esse censebat. Quid enim reliquum erat quam ut vi coactus & summâ necessitate adactus faceret quod viri solent fortissimi, qui læsi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti, nemo sine inficias ibit hoc sentire prudentiæ esse; facere animi magnitudinis.

181. Scio me, cum hæc refero, in rebus sermone omnium celebratissimis versari, eaque, quæ dico, notiora esse quam ut ullis testimonijs indigeant. Quis enim, quæso, ab orbe nostro tam remotus est, qui hæc ignoret? qui talia sibi recensentem totius rei gestæ narratione non antevertat? Nonne intelligitis hæc omnia literis mandari, ac memoriæ prodi, harum, inquam, rerum ne posteritatem

ritatem quidem omnium seculorum unquam futuram esse immemorem.

182. Quid autem agis tu fili Dathan & Abiram, dux militiæ contumax, Carolicidii artifex, tu pestis, inquam, patriæ, tempestas reipub. quid agis? quidve rerum moliris? Nonne juramento fidelitatis, solenni fœdere, imo diris execrationibus te devinxisti nihil te contra Regem commissurum? Qua fronte ergo ausus es adversus Mosem insurgere, exilium ejus machinari, nescio quo fictæ conjurationis terrore in insulam compulsum carceri includere, captivum detinere, caput denique illud augustum securi percutere? Quis dæmonum sanguinaria ista tibi suggessit consilia? (nam certe istæ machinationes Orco suam debent originem) Quid tu monstri portentique paras? nonne vereris manus tuas paricidales in magnum Dei servum, sanctissimum Regem, injicere, &, quem castigare aut reprehendere nefas esset, securi percutere? Cur optimum regem necas, & (quod sceleratius est) quasi improbum quendam virum è medio sustulisse, de hujusmodi cæde gloriaris? Cur triumphum ob eam rem publicitus agis, &, velut re pie ac strenue gestâ, trophæum erigis? An parum est quod impune tantum facinus commisseris, nisi etiam commemorando illud deterius efficias? quid hoc est impudentiæ crudelissimæ, & superbissimæ arrogantiæ? nonne cohorruisti? nonne pudore suffusus es? nonne dignitas, splendor & innocentia tanti Regis oculos tuos perstrinxerunt? annon hæc vel animo tantum volventi vires tuæ collapsæ sunt? nonne metuebas terra ne dehisceret vivumque ad inferos te deturbaret? Miror te sane quorum facta imitari non pu-

duit, eorum exitus tragicos non perhorruisse. Quomodo te, quæso, a tanto scelere liberabis? tuum certe animum urant, necesse est, furiarum quæ intus te exagitant faces, &, quoties hæc tecum reputas, earum flagella certe & verbera conscientiam tuam dilacerant; nec licet tibi ultrices earum manus effugere, quarum præsentia ubique locorum tibi terrorem incutit, neque ullo modo avertere potes quin quòcunque te convertis Regis tui contra omne jus & fas nefarie a te occisi tibi occurret imago. Num tibi hujus vitæ lux esse grata, aut cœli spiritus jucundus esse potest? Certe, quamvis sis ut revera es omnium tyrannorum crudelissimus & maxime furens, attamen cum animo tuo semper obversetur species optimi & pientissimi Regis, a te obtruncati, perterritum te è somno sæpius excitari, furere etiam sæpe vigilantem necesse est. Animadverte, O hominum impudentissime, tantum inesse regiæ Majestati splendorem, tantam dignitatem, ut haud inultam Deus, regum omnium vindex, illatam ipsi injuriam abire sinat. Animadverte, O stolide, te in unctum Domini paricidales manus injecisse, anne putabas te insontem futurum, an frustra collatam fuisse in Reges unctionem arbitrabaris? Falleris certe, nam hoc Regibus, inter alia, confert unctio, quod ab omni injuria illos præstat exemptos & non solum corporis sed delibutæ & inunctæ etiam mentis certum sit signum, atque ad similitudinem illius expressum qui Christorum omnium princeps est, & quem Deus plenitudine sui spiritus sine mensura perunxit. Quæ crux satis digne abominando huic sceleri expiando erigi potest? Quibus tormentis huic sacrilego pœna infligenda est?

aut

aut quo jam piaculo expiari posse censes tam impium, tam inauditum & inusitatum facinus? Si in adversam pedibus nostris terram aufugeres, crudelissime paricida, non effugeres tamen divinæ vindictæ ultrices manus. Annon ulla famæ aut posteritatis cura te tangit? Itane omnia quæ moliris scelera ad votum tibi cessura censes, ut nulla unquam tibi eorum reddenda sit ratio? Falleris certe, nam ut nulla unquam cædes commissa fuit quam non talis vel citius vel serius vindicta subsecuta sit, ita cædis hujus tam nefariæ & causas inquiret, & authorem ad pœnam reposcet ille qui curam gerit generis humani Deus. Nam ut ut, quemadmodum prætendebas Phineæ zelo exarseris? aut ut Samuel Deo illatàm injuriam ultus fueris, aut ut Elias impietatis vindicem te præbueris; An putes hæc, si vere ita & non simulanter gesta forent suffectura ut culpam tam immanis paricidij imminuerent? tantum abest ut potius majus atrocitatis pondus commisso sceleri superaddant. Ne speres ergo, ut tanti sceleris invidiam ab animis nostris hujusmodi ostentationis strepitus avertat, quam dirum enim & horrendum facinus sit Regem occidere nemo magis fateatur necesse est, quam tu ipse qui illud fecisse videri cupis, pro populi, pro patriæ salute, pro zelo denique Dei, & reformandæ religionis ergo, quorum tamen omnium ruinam & omnimodam abolitionem, autoritatisque regiæ & absoluti imperij usurpationem tibi in animo fuisse luce meridianâ clarius apparet. Non igitur expectes ut tibi adblandiatur, sed potius ut stimulis te fodiat, famamque tuam laceret nostra oratio; scelera enim tua tragico & pungenti stilo exaggeranda sunt, & ad historias remittenda est

infamia

infamia tua; ut erstet quasi columnæ insculpta ignominia tua perenne documentum posteris præbitura perfidiæ tuæ & crudelitatis. Sed hæc forsitan te non tangunt, & animum tuum non frangunt perennaturæ infamiæ minæ. Non est enim Crumwellus tam persunctorie sceleratus ut unquam se corrigat, scelera enim sceleribus tuenda sunt, & absurdum ipsi est Regem occidere & post factum erubescere. Quis te misero infelicior esse possit cui jam esse malo necesse est? Non ad pænitentiam igitur te voco, sed ad pænam, non ut te à crimine purges, sed ut sceleratissimum te potius omnis memoriæ reum æstimes, &, cum nullius legis authoritas te designavit, nec militiæ ordo armavit, nec ullum divinum oraculum te inspiravit ad Regis tui profundendum sanguinem, satius tibi nunc fuerit ut imbutas regio cruore manus tuas proprio sanguine expies, ut vitam sceleratissimam, horrendi hujus a te commissi paricidij pudore, fugias, ut corpus, quod tam contaminatus inhabitat spiritus, quò publicæ justitiæ satisfiat, pœnæ commeritæ dedas, quam ut, scelera sceleri addendo, futuræ vitæ tribunalibus ad sempiternum cruciatum serveris.

183. At vero judicia, inquis, non metuis, humana forsan, non potes non divina perhorrescere. Cur non autem humana? Si propter innocentiam laudarem, si propter animi obstinati & in scelera propensi contumaciam, infelicissimum sane omnium mortalium te judico; Non intelligis enim ei, qui isto modo non timet, quid timendum sit, nam si tibi nihil metuis quod δορυφόροις cinctus sis, & quod qui te peterent a corpore tuo armatâ stipatorum & satelli-

satellitum custodiâ submoveantur, falleris certe; nam Nemesis a tergo te sequitur, &, libere dicam quod sentio, a tuis, imo a tuis inquam post hæc dies noctesque timeas, neque enim te tui diutius ferent. Adeone labefactatam Angliam & conquassatam, totamque nationem in tam vilem servitutem redactam esse censes, ut Carolo pulso, Olivarium ferre possit? an cum Regem legitimum tui non tulerint, te, qui tyrannidem occupasti, ferent? regiam potestatem cum aboluerint protectoriam instituent? Certatim, mihi crede, ad imperium tuum deturbandum curretur, nec deerint vires, nec opportunitas quæ libertatem amissam vindicent. Si te vicini, si affines, si tribules ita oderunt, ut repulsam tuam triumphum suum ducant, si quibus quondam eras in delicijs, ijs contemptui & opprobrio esse incipias, si nemo transeuntem te aspiciat quin ingemiscat, nemo tui mentionem faciat, quin te simul execratur, si vitent, & fugiant aspectum tuum, & si viderint, tanquam monstri alicujus, aut infelicis ominis occursum te detestantur, si cognati te respuunt, si socri generique de te erubescant; Si odium in te publicum Regiæ scilicet sobolis, procerum regni, cleri, populi denique totius conciliaveris: quid est quod protectoriam dignitatem exoptes, vitamque infamem & odiosam morti præferas? Crede mihi! si populo placendi studium tibi est, nulla te populo magis placere poteris quam si vitæ fila quam ocyssime abrumpas, ne tandem, quod omnes exoptant, publicæ vindictæ victima immoleris.

Magnâ cum pompâ, & ingènti comitatu stipatus, urbem regni Metropolim ingrediebaris, ubi

magna

magno te cives epulo exceperunt, & quidem te introeuntem & redeuntem summo cum populi applausu exceptum iri credebas, verum cum potius metus tuæ crudelitatis, quæ libertati, & privilegijs urbis imminebat, quam sincerus in te amor civibus convivium istud extorqueret, nullæ te acclamationes nisi quæ a tuis stipatoribus concitarentur, exceperunt, quinimmo potius omnes boni, quibus tua tyrannis exosa erat, tacite ad tuum in civitatem ingressum ingemuerunt, nec fere quisquam ex illa frequentia, quæ invite huic pompæ intererat te salutavit. Quas expectare debebas vocis contumelias, cum tam altum populi silentium diris te devoveret? Quænam fuere gratulationes, civium, quænam in isto epulo acclamationes? Nimirum—— Quæ labra, quis illi Nasus erat? nunquam (siquid mihi credis) amavi Hunc hominem——Et——O præclarum Protectorem ovium scilicet ut aiunt lupum——Et——O fortunatam natam, te Protectore, Angliam; imò infelicem ac miseram quæ crudelissimam civium proscriptionem perpessa est, cùm tu, turbatâ patriâ, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogeras, cum omnia judicia & leges in tua essent libidine, cum, sublato Rege, & libertate publicâ ereptâ, omnium nostrûm vitæ necisque potestatem ad te unum revocasses.

184. Regio nomine te salutari nolebas (adhuc enim audax tuum facinus occultare visum est) id autem tibi, O audacissime hominum, assumebas, (regiam dignitatem anhelans) ut ad te unum absolutum imperium traduceres, & tuo capiti regium diadema

diadema imponeres, magnoque nomine & splendidis titulis te ipsum ornares, & in omnibus id tibi concedi, quod Regibus jure debetur, postulares.

185. Sed quoniam eo impudentiæ devenisti, ut sortem tibi cum principibus æqualem anheles, & Regis mimum agas, sejungam te ab illo, non modo patriæ causa sed ipsius Regis, ne qua, ex tua indignitate, labes illius dignitati aspersa videatur.

186. An non cogitabas, O homo audacissime, tu inquam non modo impudens sed demens & fatue, in intollerabili isto non regno sed latrocinio, nos duplici dolore affligi, & ob Regis desideratissimi jacturam, & ob improbissimi capitis ad honorem & dignitatem evectionem? Quis enim quæso, tu, aut quantus, aut unde profectus? equa spuma prognatus? ut tantum arrogantiæ tibi assumeres, &, ad plura alia quibus patriam delere decreveras vulnera, hanc ultimam & mortiferam plagam superaddere non erubesceres, liberos scilicet homines tam vili servituti subjugare.

187. Num te decet satellitum stipatio, selectus ex ipso exercitu alter exercitus? juvenes staturæ procerioris, exquisitius ornata cæsarie, unguentisque suaviter olentibus caput vultumque delibuti? scuta dein aurata, lauroque cincta portantes, ex quibus, quoties occurrunt, Regem scilicet nostrum, vel potius Tyrannum adfuturum conjiceremus, uti ex preeuntibus radijs solem? Hæc equidem Reges decent, fateor, an vero tibi, homini vilissimo, coronæ & diademata, & purpuræ nitor, & tributa, & subditorum multitudo, & adoratio, & imagines conveniant dubito.

188. Nonne

188. Nonne te pudet in palatio regio diversari? tune augustissimum illud limen intrare audes? Et illarum ædium Dijs penatibus os tuum vilissimum ostendere? O audaciam, an potius impudentiam dicam? immanem! O Achaabi impietatem. Num ea de causa Regem è medio violentâ morte tollere visum tibi fuit ut hæreditatem regiam possideres? An tu illa in vestibulo regalia insignia cum aspiceres in domum tuam te introire putabas? fieri vix potest: quamvis enim verecundia omnis tibi jampridem perierit, tamen & te, & tua, & tuos nosse deberes. O tecta ipsa infelicia! quam dispari domino, quam dispari inquam possessori domicilium præbetis? O infausta limina quæ nemo dehinc sine gemitu aspicere, nemo sine lachrymis præterire debet. Quid enim unquam domus illa viderat, præter justum, regium & magnificum: erat olim arx justitiæ, ara supplicum, innocentiæ vim passæ propugnaculum, injurijs oppressis certissimum refugium; nunc vero pro cubiculis stabula, pro triclinijs popinas fovet, & pro nobilibus & magnatibus quibus fulgere solebat, sicarijs & regicidis scatet, scelerumque omnium, simulationis scilicet, vilitatis, tyrannidis, & crudelitatis officina existit, ubi quicquid scelerum per totum regnum perpetratur, fabricatur & effingitur.

189. Sed qua quæso fronte imperium in nos tibi arrogas, homo omnium qui sunt, quique fuerunt, impudentissime, aut quem justum dominationi prætendere potes titulum? Nullum certe alium, nisi effrænatam regnandi libidinem a scelerum omnium autore suggestam, allegare potes. Neque enim senatus ad Regnum te vocavit, cum sciret legitimum

regni

regni hæredem superesse, neque populi consensu sceptra tibi commissa fuere, quem veterano odio prosequebantur omnes. Neque antiqua stemmatis nobilitas, quamvis multa de ea gloriabaris, neque virtutes regiæ, quæ nullæ tibi, vel certe ad speciem effictæ erant, tantum decus tibi vendicare poterant. Elucebant, tanquam stellæ in propria sua sphæra, in occiso Rege Carolo, pietas summa, justitia, & æquitas, blanda in omnes Clementia, qua omnium populorum favorem sibi conciliabat. Erga subditos amor, erga exteros benevolentia, quarum virtutum ne minimum quidem in te reperietur vestigium. Cum enim tu pietatem profiteris, simulationem esse omnes sciunt; quam religiosus fueris, veræ religionis odium, & tot novarum sectarum & schismatum introductio testatur; quam justus, justitiæ & legum corruptela satis superque loquitur; quam clemens denique fueris tot crudelitatis exempla contra leges in innocentes per totum Regnum constituta ad oculum demonstrant: si regnandi gratia jus fasque omne violare virtutis nomine dignaberis, ea certe virtute summe excellebas, & palmam omnibus tui similibus præripiebas. Nec est quod Nobilitatis comparationem cum interfecto Rege ullo modo instituas, hunc enim a patre, avis, abavis, tritavisque tam paterno quam materno genere prognatum esse, & ad sceptra natum educatumque tot seculorum monumentis constat, ut qui huic rei probandæ diutius insistere velit Soli facem præferre velle videatur. Hinc est quod ipse nobilis & bonus nobilitati faveret, omnes enim boni & liberi nobilitati favent, & utiles esse reipublicæ nobiles homines & majoribus dignos consentiunt.

Tu

Tu vero, homo novus & ignotus, qui in obscuro angulo hactenus latuisti; nec nobilitati faves, sed potius eam deprimis, & homines tui similes in nobilium ordinem adscribis, & seditioso illi Romani imperij incendiario similis, quem, etiam in luctu suo irridentes, Gracchum appellabant, quoniam id etiam fatum ipsius civitatis erat, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere.

190. Non autem diu regni habenas tractare permisit Deus huic nefario Regicidæ, nec quam pater invaserat tyrannidem, eâ filius, nisi paucis mensibus, potiebatur, jam tandem namque divina justitia hoc monstrum aggressa est & facinora ejus in supplicia conversa sunt, furentem enim sævitiâ hanc pestem, exitiumque patriæ molientem, regiumque nomen anhelantem, & ad posteritatem suam transmittere nitentem, inopinatus parcæ ictus abripuit. Patre autem è medio sublato, & filio in locum (non dicam in solium) ejus suffecto, paulatim illa moles labescere cepit, tandemque subito lapsu tot annis fabricatum Crumwellij imperium præceps magno omnium bonorum, & quibus libertatis nomen charum erat, hominum applausu, summo autem cum istius familiæ dedecore corruit. Nolebat enim divina justitia sceleratis hisce hominibus, qui omnia & divina & humana jura violaverant, longius temporis spatium in afflicti hujus regni incolas desæviendi indulgere, sed ærumnis nostris modum statuens, pœnam tandem in misericordiam convertit, flagrumque illud, cujus verbera tot jam annos crudeliter nos exercuerant, in ignem cremandum abjecit.

191. O admiranda Dei judicia, quam imperſcrutabiles ſunt, Domine, viæ tuæ! Qui immortalem pene ſe credebat, eum ne ſcio quæ ægritudo, nam de nomine ejus hactenus non conſtitit, contra omnium ſpem, & expectationem, ex improviſo opprimit, qui æternam nominis famam ad futura ſecula ſe tranſmiſſurum ſperabat, hunc perennatura excipit infamia, qui firmiſſimum imperium & tot adamantinis quaſi exercituum & invictæ claſſis vinculis alligatum ad poſteritatem ſe propagaturum certò ſibi perſuadebat, is et vitâ, & ſpe hac ſua omnino excidit, ſed cujus viribus? Nullâ ſane vi externâ, omnia enim ab exteris tuta videbantur, qui vel amicitiâ ſuâ tyrannum fovebant, vel ab ejus claſſibus vel exercitu nullis unquam cladibus fracti ſibi metuebant: Propriâ mole corruit, prægrande hoc, & juſtum modum excedens imperium, ipſaque ejus fulcra & columnæ, cum diutius non ſufficerent, ferendo oneri, collabebantur.

192. O volucrem fortunam, O cæcam cupiditatem, O præpoſteram exercitus gratulationem, quam cito omnia ex lætitia, ad luctum converſa ſunt, quem Auguſta non ita pridem, ſed jam infelicior paulo mater & conjux Protectorem hodie nobiliſſimum ſalutabant, eundem poſtridie omni dignitate ſpoliatum, vix privati hominis titulo dignum judicabant. Accedebat enim & hic calamitati huic cumulus, ut quem publica ignominia a tanto faſtigio dejecerat, ei non deeſſet domeſtica contumelia. Qui tantum non rex aut imperator ab omnibus legionibus & centurijs renunciatus fuerat, de repente, abijt exceſſit, evaſit, & nullum veſtigium priſtinæ dignitatis retinuit.

 193. Sed

193. Sed cur tam diu de hoc perduelli, qui, vitâ functus, meritas procul dubio pænas jam dedit, verba facimus? Hosne qui remanent & nobiscum adhuc hodie vivunt omnino præteribit nostra oratio? quos quidem ego, si ullo modo fieri posset, non tam contumeliosis verbis proscindere, quam ad sanam mentem reducere, & infensæ patriæ reconciliare vellem.

194. Vos itaque senatoriæ dignitatis imaginarium quoddam simulacrum, vos qui residua estis istius venerandi quondam corporis membra, cujus præter brevissimam, imò ridiculam caudam jam nihil superest; vos inquam bis exauctorati, tertiò imperium usurpantes, inter quos proloquutorem inprimis, (militiæ ducem togatum generalem) cæteros deinde (non gladio solum quod æquum esset) sed clypeo & sago indutos compello. Ad vos inquam, senatores, preces convertamus iratas licet & male olim suscepta vota necesse est ut jam reiteremus. Si modo senatores nominandi sint, florentissimi regni & Ecclesiæ eversores, bonorumque omnium hostes, qui ad regium nomen & auctoritatem delendam, equestrem ordinem abolendum & omnia jura atque instituta majorum conculcanda, sese summi imperij insignibus ornatos, & summâ autoritate armatos non minus ambitiose quam injustè arbitrantur.

195. Nullumne cladibus nostris finem imponere vobis placet? quousque abutemini potentiâ vestrâ, patientiâ autem nostrâ? quam diu nobis simulatus ille in reformationem zelus illudet, aut inconsideratus furor vester eludet? quam ad finem sese effrænata vestra jactabit audacia? quod nam hoc

hoc tam pertinax mali studium? quis tantus impietatis amor? quis tam effusus ad exitium cursus? quid est quod nos aliò tendentes, aliò trahitis? & eò unde recedere cupimus impellitis? quid colluctamini cum animis nostris, nec nobis quicquam juste statuere & agere permittitis? num parum est vobis violenter capere patriæ habenas, eandem omnino nisi evertatis? quid inter varia consilia fluctuatis, nihil libere concluditis, nihil absolute, nihil juste & perseveranter statuitis? Cur odia & contentiones exercetis, &, quasi ἀκέφαλοι, a rege vestro (non nisi summi honoris præfatione nominandi) desciscitis? fideique & juramenti immemores, eum abjuratis, quem in hoc puncto temporis, cum bonis omnibus, revocare oporteret. Cur sponsam Christi, vestrum omnium matrem ita prostratam afflictamque patiemini, &, quam defendere debetis, oppugnatis Ecclesiam? cur ad eam, semirutam, & ad ultimum interitum inclinantem, adeo negligenter adijcitis animos? Cur commodi ac lucri vestri cupiditate ducti de nominis divini gloria & ejus gregis salute nihil omnino soliciti estis? Annon aliquando, crudeles malorum nostrorum architecti, resipiscetis? non erubescetis? reputate vobiscum utra causa potior sit & popularior in qua omnes ordines & boni viri una hodie consentiunt, an in qua paucæ quædam si ad majorem numerum respiciatis, furiæ concitatæ tanquam ad patriæ funus convolant. Cur ad ipsissimam veritatis vocem aurem obturatis? cur ad meridianam lucem oculos clauditis? si angustus saltem detur accessus per quem ad vos intrare humanitas possit, certe pro lucro duceretis quod a mutuis cladibus essent manus, & capitalis illa &

perniciosa opinio procul a vestris relegaretur animis, quæ multorum mentibus velut oraculum jam inculcatur, nos salvos esse non posse, nisi armato milite concives vestros opprimatis. Si quicquam vobis humanæ pietatis aut miserationis superest Angliam patriam vestram intuemini jam undiq; agitatã & tot cladibus afflictam, tot calamitatum vel tandem aliquando inducias gemitibus & lachrymis deprecantem. Cur tot sanguisugas ægrotæ patriæ adhibetis, cui præter exanguia membra simulatis medicaminibus ad desperationem salutis, vexatæ nihil reliqui est? Cur calamitosas nostras contentiones producitis? Cur concivium sanguine cruentatis impias manus? annon satis effusum est fraterni cruoris? annon sceleris & tot cladium tandem vos pudet? annon socij sunt & contribules quos oppugnatum pergitis? annon a fraterna charitate protinus alienum est quod sanguinis necessitudine conjuncti in contrarias partes & copias distrahuntur, hostiliter concurrunt, & infestis animis, obliti generis, immemores amicitiæ, mutuis vulneribus sese confodiunt? Placeat] vobis jam tandem aliquando ex Campo Martio ad pacis templum transmeare, cum jacentem patriam vestram, longo bello exhaustam, pluribus vulneribus concisam et confectam videatis, si non misericordiâ ducti, saltem defatigatione cladium moti, aliquando a cruentis cædibus desistite. Quid sibi vult aliena ab humanitate & virtutibus nostris avitis tanta asperitas? Cur non succurrimus vicinis, &, factâ concordiâ, in peregrinos iras transmittimus? cum sciamus nostrorum cruorem in nos verti, & illum saluti suæ male consulere qui proximi afflictionibus nullam adfert opem.

196. Sed

196. Sed ecce jam patriæ præbetur aliqua quies dicetis forsan, plurimum tamen negotij vobis est cum gladio, totis diebus noctibusque tractatis ferrum, & semper ad arma respicitis, virtutes sunt istæ cum justus hostis contigit, ast in proprios cives ferrum distringere, quorum paci & commodis studere debebatis; id quidem omnino inhumanum est & barbarum. Si omnino bellum gerere decretum vobis est, cur non in extraneos, & Christiani nominis inimicos, ubi virtus nulla pugnandi lege, nullo fine circumscribitur, arma convertitis.

197. Agite dum! ab hoc præpostero in fratres & consanguineos furore miseri desistite, pristinique erroris pertæsi, & sanioribus acquiescentes consilijs, sagâ exuite, ferrum vaginæ reddite, pacem colite, a cæptis istiusmodi impijs in posterum abstinete, nec malum vobis per tot aliorum mala accersere persistite. Omnia jam, longo bello exhausta, tranquillitatem exposcunt, quæ ad pacem publicam pertinent diligenter curate, aut si tantopere bella vobis cordi sunt, in hostem vere communem Christiani nominis ferrum convertite. Quicquid sanguinis, quicquid pecuniarum hoc bello nostro sacro & intestino absumere decrevistis, illud omne felicius & honestius in hos usus impendetur, illic exercendæ virtutis larga sese offert occasio, illic ad triumphum sacra via ducit, illic honoris campus latissime patet, Christi verò Ecclesia cruentis morsibus non pascitur, quæ fugiendo sanguinem, & patiendo potius, quam ferendo injurias, fundatur.

198. Præstatis, non inficior, exercitu numeroso, & lectissimas habetis copias, ut facilis ad victoriam aditus patere vobis videatur, felix enim in

bello unius prælij successus, eam vim habet, ut spem quoque non minimam futuri eventus afferat. Sed cavete tamen, ne vos illa cogitatio nimis inflet, & transversos agat; ea enim bellorum est conditio ut eorum momenta & vicissitudines fortunæ valde incertæ lubricæque sint, ita ut nemo unquam, quamvis faciles propitiosque Deos habuerit, fortunæ tenorem eundem diu sibi queat polliceri. Res enim bellicæ varios habent eventus, dubius Mars oberrat, & fortuna nimis blanda hamata est, cum blanditur captum venit; monetque vos non supra modum efferri debere successibus, quoniam victorum lætitiam sæpissime turbet inopinatis casibus & prosperis rebus lerunque triste aliquid agglutinet. Cavete itaque ne tandem victi, res, primum prospere gestas, male vos moderasse doleatis; Seriò & citò reipub. consulatis, ne serò fortasse aliquando; sed frustra pænitentia subeat; & ne prioris victoriæ gloria unico aliquo & finistro eventu omnino obliteretur. Et certe parum tutum, & res mali ominis videtur, quod tale vos bellum geritis, ubi turpe licet sit vinci, turpius autem est vicisse, magnæque in utraq; alea calamitates immineant.

199. Quare per spes vestras, per casus vestros, per calamitatem nostram (summum humanæ fragilitatis exemplar) per quicquid apud cunctas gentes sanctum & inviolandum videtur, adjuro vos iterum atque obtestor, si quicquam vobis humanitatis superest, respicite ad communis patriæ tristissimam conditionem, & necessitatem gravissimam, quicquid mali dominatio vestra inordinata inflixerat, quam ocyssime sanate, statumque regni pristinum redintegrate, dolores nostros, quorum vos præci-

quæ causæ fuistis, mitioribus remedijs permulcendo levate. (Mordax forsan, & nimis durus videtur vobis hic sermo) qui tot jam annos concives vestros opprimere consuevistis, & durioribus remedijs quam morbi conditio poscebat afflictæ patriæ medelam studuistis. Omnia enim vitæ & fortunarum nostrarum præsidia vobis olim commissa, nunc vero amissa, & deplorata, mirum est quam sævientem in universi populi pectore dolorem exasperent, quam crudeliter inquam & miserè nos divexent. Utinam nulla unquam a vobis suggesta nobis fuisset dolendi causa, irascimur vobis, & tamen blandiri cogimur, preces vobis ut fundamus necesse est: cum enim furias hasce, quibus male vexamur, vos ipsi excitaveritis, bene intelligimus, solos vos esse qui easdem sedare possitis. Quale vobis creatis periculum, bene perpendite, nec instabili, ac illudenti fortunæ spectaculum vos præbete, gloriam certe somnijs marcidiorem possidetis, & splendore, ex populi nutu conflato, nocturnis spectris vaniore circundati estis. Vestros itaque fortunæ terminos jam tandem statuite, brevi forsan mutabit illa fidem, falacissimi enim sunt illius nutus; quos blanda effert, infesta dejicit, & quam perpeti favore aspirantem sensistis, ad ultimum fatigata (quamvis eam pressis manibus tenere videamini) temeritati vestræ non sufficiet. Quod si extremum hoc obsequium eam nunquam remissuram censetis, omnino reputate Deum, cui humanæ omnes artes sunt impares, omnia hominum consilia vana, vindicem habere oculum, & potentiam vestram scelere quæsitam non fore diuturnam, certo vobis persuasum habete.

 200. Exper-

200. Expergiscimini itaque & redite tandem in virtutis viam, ut Senatoria vestra dignitas desinat aliquando cuique ludibrio esse, & pristina populi reverentia, & debita vobis authoritas postliminio vobis restituatur. Nolite principem vestrum, dignitatem regiam, bonum publicum diutius infringere, Ecclesiam, Christi sponsam, Matrem vestram, non amplius contemptui habete, Sanate offensas officijs, componite mentes ad obsequium, in gyrum officij redite, novitate vitæ, & reipub. debitâ, quæ vobis incumbit, curâ, a tot datis scandalis vos ipsos liberate, ijs qui vos comicis salibus hactenus insectati sunt obstructis, famæ vestræ & corporibus, & animis parcite; Dei denique judicium exhorrescite, thesauros iracundiæ ejus non contemnite, nec commovete stillantem calicem, ne vos perditos oceanus furoris ejus omnino obruat, aut iracundiæ ejus ignis in vos excandescat & omnino devoret. Quod si tandem sententiam mutare & ad meliorem mentem redire animus vobis est, renunciate, quæso, ingenti errori; qui hactenus quasi temulentos vos detinuit, & veritatem, cujus vis magna est, & quæ tandem, utut etiam opprimatur, prævalebit, consectemini, nec dubitate, quin læto vos sinu excepturus sit Rex clementissimus, imo, vestrâ gaudens pænitentiâ sancta mater Ecclesia in gratiam vobiscum redibit, & apertis brachijs vos amplectetur.

201. Sed O quam æger est ad virtutem regressus ijs quibus scelera fere in naturam abierunt, O quam de hac re penè desperamus! Faciliores quidem & procliviores estis ad lædendum quam ad benefaciendum. Et jucundius vobis est vulnerare integrum,

grum, quam fauciato mederi, diffipare rapta, quam divulfa componere. Hodie fcilicet jacentes nos ad pedes veftros, fupplicum more, calamitates noftras eloqui prohibetis, & quod nos, bonitati noftræ caufæ fidentes, precibus & lachrymis proftrati petimus, hoc ipfum vos, omnem humanitatem exuentes, ne impetremus veftrâ obftinatione efficitis, ita ut de veftra in bonum publicum propenfione nihil fpei nobis fit reliquum.

202. Vos itaque aggredior melioris fpei Senatores, vos inquam vi quondam tyrannicâ ab adminiftratione reipub. indigne feclufos, mirâ autem Dei providentiâ, & Strenuâ *Monkkij* prudentiâ & pietate in priftinum ftatum reftitutos, quibus, pro tempore; gubernacula Reipub. fponte detulimus.

203. Videtis res noftras ad extremam redactas calamitatem, intuemini, quæfo, patriam veftram agitatam, & convulfam & jamdudum vel aliquas miferiarum inducias deprecantem. In hac veftra lance publica caufa pendet, & univerfa Brittannia vobis effufis lachrymis, manibus expanfis, accidenfque genibus tot mortalium funera, latamque agrorum vaftitatem oftendit, continuifque fimultatibus omnia jam pridem attrita, nec minus eos qui vicerunt quam qui victi funt conflernatos effe. Paucorum quidem annorum bellum fuit, fed difpendiorum magnitudine multæ ætatis argui poteft. Fidem etiam veftram implorat fponfa Chrifti Ecclefia, quæ hactenus fub dira hæreticorum & fchifmaticorum perfecutione laborat, ad manum vobis eft ejus fublevandæ ratio. Quoties hæc cogitatis & patriam noftram jam non fui effe arbitrij, fed falutem ejus in veftra effe poteftate & integritate, veftraque

vestraque fide positam, quomodo non vestra interesse judicabitis eam quam optimam, quantum in vobis est, & fortunatissimam reddere?

204. Adspicite, O adspicite quæso quot indicia fatalem ejus ruinam, cui occurrere vos par est, minitentur, jam jamque imminere denuncient. Reputate vobiscum, quod, si vel paululum modo cessatum adhuc a vobis fuerit, & nisi quam citissime obviam eatis præsentibus malis, nec Reipublicæ nec Ecclesiæ formam nobis ullam superfuturam Omnes, scilicet, ἐν χρῷ κεκαρμένοι, Et in summa novaculæ acie constituti sumus, decumani fluctus jam instant & tenui, ut aiunt funiculo vita nostra suspensa est. Ea in quibus versamur, nisi in exitium nostrum, amplius procedere non possunt, sed Deo propitio, & vobis ejus administris ad rempub. in pristinum statum restituendam opus est, ut Anglicani & regni & Ecclesiæ fatum retardetis.

205. Summâ certe vobis festinatione opus est, aqua incendio affundenda est non cineribus, extincto populo, tarda sunt omnia remedia; Statim itaque incumbite in reipublicæ salutem, afflictæque patriæ, & tantum non perditæ, medeamini. Circumspicite ad omnes procellas quæ undique nobis impendent, nisi celerrime succurratis, jam submersuræ reipub. naviculæ. Malum certe nascens facile deprimitur, quomodo autem inveterato huic obviam ibitis quod ætate robustius effectum est?

206. Valeant apud vos si non preces ipsæ, numerus certè, & causæ rogantium, quorum justissimum dolorem ex reiteratis supplicationibus censere potestis. Existimate hæc quæ a nobis dicuntur, a liberis, ab uxoribus, a penatibus, a familia nostra, ab omnibus

omnibus quorum salus a judicio ac præsidio vestro pendet, cum fletu, cum ejulatu, & lachrymis implorari. Et certe si ad preces nostras animum advertitis; Et pacis & tranquillitatis studio ducti, bello huic pleno invidiæ, pleno detestationis finem imponitis, in eisque totis viribus totaque mente incumbetis quæ omnem metum nobis adimant, & regno huic & Ecclesiæ pristinos quietis & pacis dies restituant, in ore & mente omnium qui sunt, & in posterorum etiam memoria vestri nominis monumentum, in cœlo denique perennis gloriæ & immortalitatis fundamenta vobis constituetis.

207. In historiarum prisci ævi monumentis traditur quam egregie & feliciter majores vestri magnum sibi nomen & stabile Regibus nostris regnum paraverint. Sed quid opus est vetustatem, & res a nostra memoria remotas excutere, cum proximis & recentibus exemplis uti liceat. E vestro numero plurimos commemorare possem, qui patriæ non sibi studebant, qui non rei familiaris amplificandæ gratiâ rempub. gerebant, sed qui sibi rem communem augendam esse putabant, ex qua late ad omnes utilitas propagaretur; neque more Aspendij citharistæ, intus canebant, sed omnia ad communem usum publicamque utilitatem referebant. Ita scilicet Rege nuper infeliciter & impie oppresso, Ecclesiâ periclitante, patriâ laborante vitam suam & fortunas in discrimine libere obtulerunt. Eam sententiam aperte dixerunt cujus invidiam vel capitis periculo sibi tuendam videbant; dixerunt vehementer, egerunt acriter, ea quæ dixerunt, cum constantia & invicto animo publicarunt. In regia defensione, & Ecclesiæ causa, duces, auctores, actores illarum rerum

rerum extiterunt, quæ sibi & posteritati suæ ruinam promittebant. Neque hæc agebant, quod periculum suum non viderent, sed quod in tanta patriæ & ecclesiæ tempestate, nihil sibi nisi de earum periculis cogitandum, & quomodo ijs obviam irent consultandum esse putarent.

208. Videtis jam in quantas angustias existimationis vestræ ratio deducta sit. Omnia hæc, si placet, ad trutinam conscientiæ exacte expendite, caute & circumspecte statum rerum nostrarum, vestrarumque reputate, spem nostram ultimam nequaquam vestro patiamini destitui auxilio & consilio, simultates omnes publica sedat utilitas, & si quæ inter vos privatim contentiones exortæ, majores sint quam ut brevi sedari possint, in hoc saltem diligentiam adhibete, ut, quæ ad publicam pacem pertinent bene inter se conveniant. Si enim gubernantes obluctentur inter se, & quisque velit pro captu animi sui huc vel illuc clavum propellere, & antemnas cuivis vento obvertere, quis dubitet ei navi præsentissimum naufragium aut allisionem esse paratam? Intestina itaque odia commune bonum extinguat, quæcunque incident contentiones de legibus, de jure imperij, de regni & Ecclesiæ administratione, ita transigantur, ut sit semper summa rerum salva, nec certetur amplius inter vos sicut inter antecessores vestros, cum regis odio aut plebis pernicie, sed amore patriæ & legum tuendarum omnes consultationes vestræ ad pacem & publicam tranquillitatem dirigantur, & si qui inter vos tam malo & inauspicato ingenio nati reperiantur, ut, quasi Eurynomi inter Castores, & Polluces, odia & simultates continuo ferant, agite eos, ceu astorgion, & quasi discor-

discordiales & lethiferas herbas, & a limine vestro longe eijcite.

Nolite principem vestrum, dignitatem regiam, publicam denique omnium incolumitatem, publicis regni perduellibus, & juratis publicæ pacis hostibus conculcandam prostituere. Semper regium nomen in hac regione sacrosanctum fuit. Reges etiam divinæ sortis in eo sunt participes, quod legibus divinis & humanis sint inviolabiles, & Deum, qui solus potestatem sibi in eos statuendi reservavit, vindicem habeant. Monarchiam sola tyrannis invisam reddidit, regia autem dignitas, qualis apud nos constituitur, amabilem facit, ipsa Romana olim Respub. in Monarchiam commutata, &, tyrannidem licet odio habuerit, caute tamen & religiose regia authoritate usa est. Omnibus qui bona mente præditi sunt exploratum est grave esse admodum & periculosum regni statum a multis seculis & immemoriali fere tempore usu approbatum & confirmatum, vel in melius commutare: neque id fieri posse sine pernicie & damno Gentis, sicut quidam etiam morbi, qui in consuetudinem abiere curari non possunt, sine totius corporis periculo, ut plerunque satius sit eorum curam omnino prætermittere, quam tantum discriminis adire. Coronam itaque, insigne regium, a sacro capite indigne abreptum iterum reponite, & vobis dignum, & huic imperio gloriosum putate legitimum principem regno, & regnum principi restituere, quem regno dignum omnium populorum consensus judicat, & ut regno restituatur omnium vota peroptant. Tam excellens enim quæ in Carolo nostro elucet indoles, tantus virtutum decor, tanta majestatis plane regiæ imago

imago non parum debent animos nostros commovere. Ex ipso enim aspectu cernere licet quanta lux, quantum seminarium justitiæ, prudentiæ, pietatis, magnitudinis animi in ipso fulgeat, quam ille ad omnes res magnas natus, quam nihil degenerans a Majorum suorum virtute, ut non minus ornamenti additurus sit Regiæ dignitati, quam splendoris accepisse a Majoribus videatur.

209. Invisa deinde arma deprecamur, pacem oramus omnibus votis pacem, toto animo pacem, loquentes tacitique pacem expetimus, nos qui pacis authores semper fuimus, armorum non deponendorum sed abijciendorum suasores sumus. Nobis quædam licet concessa videatur quies, tota tamen patria stipendiarijs in hac pace, si pax dici possit, oppleta & oppressa militibus, qui totis diebus noctibusque tractant ferrum, & ad arma semper respiciunt. Arma hæc vos submovere potissimum velimus, & simultatibus nostris repudium mittere. Hoc commode a vobis factum iri speremus, si rem militarem ipsi tantisper exerceatis, donec militem mercede conductum dimittatis, & paci nostræ, quæ nihil est insidiarum habitura, consulatis. Quid enim a conductitio milite benevolentiæ sperare potestis? quem sola spes prædæ ad arma capienda allexit, non Reipub. amor sed proprij commodi cupido; Hujus rei nisi maxima habeatur cura Tantali lapidem putemus tenuissimis funibus supra rempub. esse suspensum, metuendumque nobis esse quod per tot annos militiæ addicti, oblatâ occasione, quæ rem ex animi sententia successuram promittat— nos et libertatem nostram sint invasuri, quod non semel hoc seculo experti sumus. Petendi sunt igitur

tur potius ab amica agricultura qui patriam suam tueantur, ijque soli centuriandi, & sicut in familia sic in repub. penes patrem-familias non mercenarium sit cura & solicitudo.

210. Salutaribus insuper legibus quidquid dilapsum fluxit revinciatur, quicquid est virtutum revirescat, bonis bene sit, mali resipiscant, non amplius augustus ille concessus vocetur consilium infrunitorum aut æstuarium suffragiorum impiorum. Hoc modo si procedetis duraturæ pacis fundamenta firmissima felicissime jacietis, sic salva domi erit concordia, & salubribus institutis florebit respub. ut finitimorum principum invidia, quæ sæpius id jam olim cum repulsa tentavit, regnum hoc amplius concutere aut commovere nequeat.

211. Vos igitur omnes γνησίως Angli ad decus & libertatem nati, quid sedetis otiosi, quid vos mutuo intuemini? aut cur vestrâ ignaviâ tam pulchram rei præclaræ gerendæ occasionem elabi sinetis? generosi conatus pro patriæ libertate suscepti & Deum & homines fautores & adjutores invenient. Ad inimicorum sedulitatem respicite, & vestram socordiam excutite, & non mirum erit ab illis, cum ipsi militent, & omnibus rebus intersint nullamque vel occasionem vel horam prætermittant, vos, dum cunctamini, & decernitis, & suscitamini, superari. Versatur, ut videtis, in castris furor, in curia proscripta timor, in senatu conjuratio, inter cives discordia, in agris vastitas, in emporijs penuria, omnia ubique suspecta sunt, ubique desolatio, ferrum, flamma, nobis extrema, & dira quævis minitantur; in id discrimen adducta res est utrum tyranni reipub. pœnas luant, an nos posterique nostri æternum

illis

illis ut mancipia serviamus. Respicite aliquando patriam vestram, è quibus orti estis, & cum quibus vivetis recordemini, cogitate quantis laboribus fundatum imperium, quantis consilijs constitutas leges, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta Dei benignitate auctas exaggeratasque regni & Ecclesiæ opes paucorum annorum dissidia delerent. Quæ cum ita sint patriæ vestræ causa, qua nulla res cuiquam potior esse debet, vos moneo, & meo jure præcipio, ut otio, paci, vitæ vestræ & libertati, vel tandem consulatis; Si patriam, si Ecclesiam, si majorum vestrorum, & propriam gloriam spectatis, ne, quæso, cum necessitas ad patriam & ecclesiam libertatemque vestram contra improbos defendendam vos vocat, animos dispondeatis, manusque otiose in sinu reponatis, & recordatione afflictionis meæ a generosis consilijs & fortibus ausis refugiatis. Quod autem tempus commodius, quamve occasionem meliorem hac quæretis? aut quando ea quæ fieri debent peragetis, si ansam hanc non arripietis? Nimis diu tacimus quid sensierimus, jam autem omnia satis nota sunt. Omnes quippe jam in singulis regni partibus quid sentiant, quid velint claris verbis & uno ore elocuti sunt. Tandem ergo aliquando patrium animum, & avitam virtutem resumamus, aliquando dolor noster pariat quod tam diu parturivit. Scio non deesse nobis libertatis assertores nobilissimos, & paratos esse defensores reipub. faciam tamen quod Imperatores, instructâ acie, facere solent, qui, quanquam paratissimos ad præliandum milites suos esse videant, eos tamen ut strenuos se præstent, & forti animo in hostem

hostem impetum faciant adhortari consueverunt, idem mihi nunc agendum censeo, ut vos alloquar quamvis animos vestros satis ardentes & ad libertatem erectos & aspirantes esse sciam.

212. Omni itaque studio incumbite in bonam hanc causam egregij viri, vosque reipub. & Ecclesiæ restauratores & libertatis veros vindices præstate, non deerunt vobis qui consilio, opibus, manibus juvent; videtis referta fora, civitates, vicos, omnes ordines, plebem omnem ad spem recuperandæ libertatis erectam. Huic igitur occasioni manum inijcite, signum date, nec Regi serenissimo vota, consilia, arma, unquam defutura sunt; Præstat sane libertatem amissam recuperare aut pulchram mortem turpi servituti anteponere. Pro vestra igitur dignitate fortiter agite, virtutemque generi vestro propriam, & quam vobis quasi hæreditariam Majores vestri reliquerunt, altissimis defixam radicibus erigite, & strenue in actum deducite. Cum enim alia omnia incerta, caduca & mobilia sint, virtutem sane vestram, nullâ unquam vi labefactari, aut loco moveri patiamini.

213. Nomen, fateor, pacis dulce est, & res ipsa salutaris, sed inter pacem & servitutem plurimum interest, nihil est quod vos ultra moneam, nemo enim adeo ἀίδρις tam fungi est qui non intelligat. Si hæc rerum gerendarum obvia opportunitas negligatur, non modo crudelem superbamque dominationem nobis vobisque omnibus, sed & ignominiosam & flagitiosam ferendam. Pax est tranquilla libertas, servitus autem malorum omnium postremum est, non modo justo bello repellendum, sed etiam egregia & strenua morte, si aliter fieri non

 possit,

possit, evitandum. Cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus.

214. Non nego equidem vos omnem navasse operam, dum licuit, ut libertas salva nobis esset, sed cum per temporum injuria vobis non licuerit amplius progredi in vindicanda libertate publica, satius vobis visum est quiescere & melioribus temporibus vos reservare, quam incassum adversæ fortunæ, quæ toties fallacem se præbuerat, obniti, nec sine honore quodam & forti animo casum illum & dolorem temporum tulistis; verum, ut nunc res se habet, nemo amplius ferre potest quod amplius ferre non est necesse, jamque non solum licet, sed necesse est etiam, nisi servire malimus, ne serviamus animis armisque decernere.

215. Sed quid quæso timetis? bellum? aut vitæ dispendium? aut bonorum direptionem? In vastatione publica num vestras putetis possessiones exemptas aut sacrosanctas futuras? aut vestra salva fore cum ea quæ sunt omnium fuerint conclamata? Ad conservationem itaque universi promptiores properate, & ex meo casu intelligite in eo vestrarum rerum salutem præcipue positam; Nam sicut navis periclitari non potest quin ea quæ in ipsa congesta sunt eodem naufragio amittantur, neque interest in puppi an in prora posita sint, ita regnum affligi non potest quin ea omnia quæ tua aut mea aut cujuscunque sint eadem clade rapiantur.

216. Ad te nunc, Carole, magni patris imperii simul & cladis hæredem mea se convertit oratio. Tu spes metusque populorum es omnium, nusquam enim nobis spes major affulget quam in te uno ad conservandam patriam nato è plurimis periculis &

insidijs

insidijs atque è media morte non solum ad vitam tuam, sed ad salutem quoque nostram reservato. Crudum adhuc vulnus nostrum, nec dum coalescens manum artificis exoptat. Ecclesia etiam, utroque cornu laborans, & in extremum discrimen adacta, optimo propugnatore indiget, populi salus, ipsa etiam regia majestas fædis contumelijs suggillitata, vindicem & assertorem exerta plane voce e flagitat, Et certe cum omnia diligenter circumspicimus, rerum nostrarum in hoc miserrimo temporum squallore ac sordibus, te quasi Jovem sospitatorem & statorem, imo reipub. parentem recte statuimus, te unum vindicem publicæ libertatis, salutis nostræ custodem, subsidium afflictæ patriæ, te populorum, qui diu per vim & injuriam oppressi sunt, ultorem, te Christianæ fidei pene obrutæ defensorem nobis pollicemur.

217. Tu intrepide pro nobis pericula omnia, peregrinationes, exilia, bella subijsti, quæsitus ad cædem non nisi divini numinis auxilio servatus, inimicorum insidijs mirâ Dei providentia illusis.

218. Tuum te nomen, tua de memoria Patris authoritas, ætatis tuæ gratia, tua denique venerabilis forma & imperio digna commendat, teque ad imperandum a natura formatum esse certo nobis judicio commonstrat.

219. In te res nostra omnis, & tranquillitas populi tui, quasi fœlicissimo in portu, conquiescit, in te sitæ spes nostræ omnes, in te omnia totius regni munimenta posita, Tibi uni quod patriam habemus, quod mænibus, aut legibus tegimur, tibi hæc omnia nos debere, tuique esse muneris ultrò testamur & prædicamus.

 220. Tu

220. Tu certe non secus ac salutaris quidam genius ad concitatos iniqui hujus seculi fluctus pacandos, & surgentes ventorum turbines sedandos natus es. Tu vinculum es per quod respub. cohæret, tu spiritus vitalis quem hæc tot millia trahunt.

221. Unica scilicet & præcipua ratio quæ subditis tuis omnibus suadet sibi optima & maxima quæque de te polliceri est summa tua probitas in sanctissimis tuis ad vivum expressa moribus, quos maxima humanitas commendabili gravitate conjuncta comitatur.

Quid de fortitudiue & animi tui magnitudine dicam? quæ etiam in tempestate hac sævissima tranquilla & immobilis tot calamitatum fluctibus se opposuit, inque ipsis quasi benignum sidus eluxit, & hæsit infixa patriæ, splenduitque per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolevit.

222. Perge itaque, ut cepisti, Carole, per omnium tuarum, paternarumque laudum vias, macte virtute esto; Magno sis animo & erecto, nec unquam succumbas inimicis, ne fortunæ quidem, quæ hactenus tam adversam tibi se præbuit, sed & illa aliquando victa manus præbebit. Quid tibi negabit Deus, quem tam religiose colis, tantâ pietate veneraris? Certe imperium tibi pacatum præstabit, nec non diuturnum.

223. Ecce enim res tua, & causa tua eo jam sunt in statu ut erigere oculos & vivere videantur, qui a tuis steterant partibus. Ex magnis & desperatis jam olim patriæ, tuæ morbis ea nuperrime vis erupit, ut convalescere aliquando & sanari eam posse probe speremus. Ex conscientia rerum jam gestarum spes nobis certior arridet, optima quæque

optandi,

optandi, & respirare videmur certa expectatione rempub. hactenus afflictam brevi restitutam iri.

224. Quamobrem! Gentes tuæ, & subditi tui omnes, quibus Christiana religio & patriæ libertas, & regni tui & ecclesiæ salus cordi sunt, spem hodie cæperunt certissimam, per te unum Angliam pristinum decus & antiqua ornamenta sua posse reparare.

225. Tui desiderio, ut paucis multa complectar, forum mæstum, mutæ leges, omnia bonarum artium studia siluerunt, Obsessa facibus & telis impiæ conjurationis supplex manus tendit patria communis. Omnes ordines mente, voluntate, studio, virtute, voce consentiunt, ut te in paternam dignitatem publico voto revocent.

226. Te itaque monemus, (quanquam non egeas consilio quo ipse vales plurimum, tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus aliquando moneri solent) Te, inquam, supplices rogamus ut solium paternum, ab inimicis tuis tibi ereptum, omnium votis iterum feliciter conscendas, nec tantum ad restitutionem regiæ & avitæ dignitatis apparatum, tamque præclarum ad nihilum recidere patiare. Ansam tibi oblatam habes, qualem hactenus nunquam, imperij tui recuperandi, abijt, erupit, evasit malignus ille perduellium consessus, melior pars senatus ad Reipub. gubernacula readmissa est, Hujus gravitate senatus, hoc studio omnium ordinum, hoc ardore universi populi suffultus, (dicam quod sentio, & quod mecum sentiunt omnes) non potes non, favente Deo, regnum tuum & patriam in perpetuum in posterum a metu & periculo liberare.

227. Omitte quæsumus modestiam istam quæ hoc suggerat multo tibi præstare in præsenti, & te indigna continuare fortuna, quam tuo reditu belli necessitatem, & majorem tuis defensoribus calamitatem afferre, & imperio tuo, omnibusque fortunis tuis, ipsi denique vitæ tuæ, te incolumitatem nostram & salutem præferre. Hæc forsan dici possent si tibi soli viveres, aut tibi solum natus esses, cum vero omnium subditorum salutem, regnumque tuum & Dei Ecclesiam res tuæ complexæ sunt, modum vitæ tuæ, & actionum tuarum tenorem (eventum omnem Dei providentiæ remittens) summo tuo jure & avito imperio recuperando, & redintegrando definias.

228. Nos quod attinet, ita obduravimus animum, ut post hæc malimus sæva ac extrema quæque subire pericula, quam ab optatissimo tuo diutius excludi in nos imperio, In omni nos te fortuna, qualiscunque oblata fuerit, amplectimur, sacræ tuæ majestati perpetuam, nullaque vi, nullo unquam tempore violabilem fidem pollicemur, nec a te ulla nos unquam fortuna divellet, quodvis exilium nobis erit optatius, quam patria, quam domus, quam dij penates te uno exulante.

229. Non potes non tibi in animum revocare tuum hoc esse regnum, tuamque hanc esse patriam, te nostrum esse Regem hæreditarium, tibi ergo aut nobiscum esse vivendum, aut nobis sane pro te, tuoque jure & salute esse moriendum. Tuarum erit partium ut revocandæ felicitatis author nobis sis nobisque te Regem, & regno rectorem restituas. Hic tibi restat actus, in hoc unice elaborandum est ut causam ages pro patre, pro patria, pro teipso,

ut

ut paternos manes expies, & ulciscaris, ut regnum per injuriam parenti optimo ademptum proprio jure recipias: ut Rempub. constituas, eâque composita tu inprimis florenti & quietâ perfruare, ut denique res maximæ minimo motu transigantur, summa pericula sine ullo, si fieri possit, tumultu superentur & exantlentur, bellumque intestinum (post hominum memoriam iniquissimum) te uno reduce tuâque prudentiâ & moderatione sopiatur.

230. In his ostendas necesse est, patriæ lumen animi, ingenij, consilijque tui, in his largissimum inveniet campum in quo se exerceat virtus tua. Omnia scilicet tibi uni ad vitam quasi revocanda sunt quæ belli impetu erant perculsa, atque prostrata; Constituenda judicia quæ sub judicum corruptela laborant, revocanda fides quæ a perfidis impostoribus in exilium proscripta est, comprimendæ lites & libidines quæ in immensum proserpserunt; omnia denique quæ dilapsa jam fluxerunt severis legibus revincienda sunt. Antecessoribus tuis bene gestæ, tibi uni restauratæ & conservatæ reipublicæ gratulationem decrevimus.

231. A te tandem spontaneo motu pax & tranquillitas nobis, vel antequam rogetur, restituatur, Regnumque, antiquis innixum constitutionibus & legibus, pristinæ dignitati & majestati reddetur. In Ecclesia quoque pristinus decor & colendi veri Dei antiqui ritus, te concedente reflorescant. Reducantur in sinum Ecclesiæ qui errore seculi a veritatis semita deviarunt; restituaturque unitas & concordia Reipub. demptis diversarum partium factionibus. Census publicj publico bono promovendo impendantur, sic afflicta patria tibi uni restau-

ratæ salutis publicæ & communis tranquillitatis laudem & gloriam debebit, a te uno accipiet, de quo sibi non præsens solum ætas sed omnis quoque posteritas gratuletur, ut de te uno, quod olim de Augusto dici solebat, dici queat, te Rempublicam a prædecessoribus tuis, quasi lateritiam, accepisse, a te vero auream, id est firmissimam effectam fuisse. Liceatque nobis exclamare, O miram fatorum vim, O admirandam divinæ providentiæ dispensationem. Omnia nobiscum videbantur conclamata, & in interitum ruentia, sed legitimi principis restitutione melior nobis spes jam affulget recuperandæ pristinæ libertatis, veræ religionis, antiquæ fidei; quis enim dubitet quin favente tanto principi summo numine ab exilio revocanda sit veritas & suis sedibus restituenda justitia.

232. Hæc omnia, te reduce, tantum abest ut non certo eventura vereamur, ut multo magis spe certissimâ omnium animi erigantur, brevi fore ut antiquam illam & diu optatam, nec tamen a multis hactenus seculis cognitam, felicitatem reditus nobis pateat, quâ primævi patres, coalescente adhuc piorum cœtu, quasi aureo seculo fruebantur.

233. Sed tardius forsan spe nostrâ tuis auspicijs in optatum hunc portum provehemur; Patienter autem ferenda est rei tam salutaris futuræ mora, eoque gratius & charius nobis existet beneficium hoc tuum & præteritæ tempestatis violentiæ eo lubentius ignoscemus, cum bene nobis constet ita semper evenire ex natura rerum, ut qui vehementer concitati sunt fluctus, superveniente tranquillitate, non protinus remittant, nec prorsus mitescant, sed pristinos impetus, desævientibus licet ventis, adhuc

magnâ

magnâ ex parte retineant, donec tandem omnia remisso impetu componantur.

234. Fatemur, sereniſſime Rex, nos non tua ſolius ſed patriæ cauſa de tuo reditu laborare, nec vero tu optabilius quicquam æſtimes quam te a ſubditis tuis reipublicæ cauſâ deſiderari. Hoc certe eſt quod gaudia noſtra & gratulationes excitat & populi univerſi acclamationes publicoſque illos campanarum tinnitus, & tormentorum bellicorum bombos evocat; Cum ſcilicet finibus noſtris tanquam ſalutare ſydus poſt naufragium affulgebis. O quam læto ſinu, expanſis manibus, feſtis ignibus, & miſſilium flammarum ludis te reducem excipiemus! Deus immortalis! qualis erit concurſus è regionibus finitimis longinquis, ex agris, vicis, domibus, ſpectandi tui cauſa quodam quaſi lætitiæ claſſico concitatus! qui plauſis, qui clamores, & exultationes, omnium ordinum ætatum hominum? Omnes certe obſeſſæ erunt ſemitæ, omnes anguſtiæ obſeptæ, ut tuos vultus intueantur, non fœminas domi pudor continebit, non viros domeſtica aut forenſis occupatio, non pueros ætas, metus, magiſter prohibere poterint. Nec animata ſolum ſed & ipſi quoque parietes, arces & templorum mœnia in admirationem, & cultum tuum geſtient, & precarium ſibi a dijs ſpiritum optabunt, ut aliquo ſaltem nutu in communionem publicæ lætitiæ admitterentur. Floribus erunt conſtratæ viæ, aulæis contecta oppida, coronis ornata, ut non à porta ad Capitolium ſed ab ultimis regni finibus, uſque ad regiam urbem perpetuus quaſi triumphus, non de hoſtibus jam victis, ſed de civibus conſervatis agi videbitur. Iucundiſſimus ille conſpectus

conspectus tuus omnes ab oculis nostris lachrymas absterget, omnem a mente mærorem depellet, cum lucem nobis demum & salutem redditam ac restitutam, damnumque, exulatione tua susceptum, abunde satis superque videbimus compensatum. Te pacis authorem & publicæ felicitatis parentem prædicabimus, tibi læta omnia & pacatum & diuturnum regnum optabimus, nefarios istos homines execrantes, qui tam diu te sublimi isto fastigio, tot nominibus tibi debito, fraudarunt. Tantus certe in omnibus populi congressibus, ex omnibus cancellis plausus excitabitur, ut nunquam majori consensione, aut apertiori populi universi voce & acclamatione ullus Regum præteritorum Regale solium adscenderit aut Regni insignia acceperit. Recipite, inquient, lætis animis, & faustis auspicijs, O Angli, Regem vestrum, Recipite, inquient, tot calamitatum domitorem, & ipsius fortunæ victorem, Canite lætum Pæana, Angli, & futurum conservatorem vestrum ad meritum triumphum ducite. Adscribatur novus his fastis vestris Festus dies, qui Jehovæ liberatori sacer, a vobis, & posteris vestris, in futura secula solennibus laudum præconijs celebretur.

235. Cum tu autem de nobis optime, quam nos pessime de te meriti sumus? O quam audacter & impie facta, quam incredibiles furorum species, quæ horrenda flagitia, quanti denique facinorum acervi advenienti tibi occurrent? Peccavimus fatemur omnes, erravimus, temere multa fecimus, alij gravia, alij leviora, alij ex destinato & de industria, alij forte aliena nequitia impulsi, mala perpetravimus, quidam odio, alij errore communi lapsi,

lapsi, alij in bonis consilijs parum fortiter stetimus, ac innocentiam inviti & renitentes perdidimus, nec quisquam fere est cui tam valde innocentia sua placeat, ut non stare in conspectu clementiam tuam paratam suis erroribus gaudeat.

236. Neque tamen ad crudelia nimis consilia majestatem tuam compellat justa indignatio, non fervens in vindictam impetus, non paternorum manium severa nimis ultio, non hostium inaudita contumacia, quæ mitissimis quoque pectoribus patientiam extorqueret, non ista ostentandæ per terrores potentiæ dira sed frequens in magnis imperijs gloria. Præpolleant apud *M. T.* moderata potius quam severa consilia, in quorum locum innata succedat lenitas & clementia quibus legum & judiciorum austeritas mitigetur, Omnia potius ad æquum & bonum judicem quam ad summi juris exactam lancem moderentur. Sit conditum & constrictum apud Clementiam *T.* ferrum parsimoniâ sanguinis etiam quam maxime obnoxij, quanta enim solitudo & vastitas futura sit cogitet *M. T.* si nemini justitiam tuam effugere licuerit, nisi quem judex severus absolverit.

237. Fateor equidem melius esse ut pereat unus quam unitas, sed in multitudine precantium, ubi rei acie vincendi sunt, periculum est irasci tam publico vitio, & sibi ipsi parcit qui videtur alijs parcere. Quicquid plus æquo futurum videbitur in partem humaniorem semper præponderet, tutius est enim sanguini parcere, quam nimis prodige eum effundere, & clementiâ potius devincire sibi subditos quam suppliciorum terroribus ab obedientia alienare.

238. Nihil

238. Nihil est quod magnitudinem animi tui magis deceat quam hæc quam imploramus moderatio, nihil tam populare quam bonitas, nulla de virtutibus tuis plurimis aut gratior aut admirabilior existit quam misericordia, nihil habet fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis ignoscere.

239. Regia plane res est, & gloriâ simul & decore plena potentia salutaris, vis ista pestifera est quæ valet ad nocendum; Cui rei ipsa quoque natura testimonium affert luculentissimum, quæ cum apibus aculeos dederit, eos solis apum regibus ademit.

240. In tanto sævientis & insanientis morbi furore asperiora remedia male succedunt, & crudum adhuc vulnus nostrum suspensâ & miti manu tractari postulat. Volens itaque te patiare, Rex clementissime, precibus nostris expugnari, &, quod consentaneum est tuæ & paternæ clementiæ & lenitati, experire remedia mitiora, ut, quod lenire quam resecare malles, mitior medicina sanet. Ita solent periti medici, qui cum ustionibus, sectionibus, ferro candente, detractione sanguinis, non morbum jam adultum & prævalidum, sed ægrotum ipsum furiosum confici vident, & sævientem dolorem exulcerari potius, quam demulceri, mitiora parant fomenta, quæ acerrimi doloris sævitiem suaviter consopiant, nec ultra feriunt venas, nec membris manus duras admovent, nec acri medicamine pestiferam edacemque serpiginem lacessunt, sed naturæ potius totum committunt negotium.

241. Neque tamen defuturi sunt qui omnem in hoc casu clementiam prorsus tibi abdicandam, asperioribus

perioribus autem remedijs omnino rem gerendam esse consulent, & pœnas maximas tantæ protervia irrogandas judicabunt. Verum innata tibi animi magnitudo & clementia tibi dictitabunt felicem te tranquillamque præstiturum rempub. mansuetudine potius quam asperitate, magnique animi proprium esse tranquillum placidumque se præbere, & injurias & offensiones superne despicere. Neminem cupias, etsi exitio omnino sit dignus, cum omnium periculo & damno, suæ improbitatis dare pœnas. Cave ne ignoscas suadebunt non nulli, Hæc autem nec hominis nec ad hominem vox est, qua qui apud te utitur, Rex omnium clementissime, propriam potius humanitatem se exuisse testabitur quam ut ab ingenita tua lenitate vel minimum recedas tibi persuadere queat.

242. In hoc potius tibi enitendum est, ut asperiora judicia tuâ moderatione mitiges, ut ultioni modum statuas, & si quam maxime facilem & opportunam sis habiturus, ut præteritarum contumeliarum memoriam charitate obliteres, ut injurias tuas & paternas comprimas, & oblivioni tradas. Et, ut omnes intelligant hæc abs te genuinâ quadam & peculiari animi bonitate facta esse, neque suspicio aliqua vindictæ, quasi labecula in animis hominum resideat, sempiternâ amnestia sanciatur, sanctâque ac permansurâ fide colatur, deleatur omnino memoria præteritorum, quæ facilius extingui quam defendi, corripi quam corrigi possunt.

243. Attamen promiscuam te habere & vulgarem clementiam non suademus, tam enim omnibus ignoscere crudelitas est quam nulli, Cum sanæ parti corporis scalpellum adhibetur, carnificina est

est ita & crudelitas, medentur autem reipub. qui pestem aliquam exsecant tanquam strumam civitatis. Misceatur igitur clementiæ tuæ justitia, sic utrique salva erit sua dignitas, nec exiguum sane in rempub. ex hac mistura redundabit emolumentum, vix enim pax & tranquillitas publica solido eniti fundamento, aut recte stabiliri poterit nisi tot tantorumque motuum authores, aut duces meritas luant pœnas. In hos itaque stringatur justitiæ gladius. His, inquam, ultima infligantur supplicia, qui sceleribus ultimis commeruere ne longior ijs mora inter homines concedatur, si modo salvam esse velimus rempub. Et ecclesiam, quas totis viribus subvertere annisi sunt. Qui Regio sanguine manus suas imbuere non exhorruerunt, qui libertatem omnium, legis, jus denique & fas omne pedibus conculcarunt. Quorum effrænata malitia tantum abest ut regiâ clementiâ ad officium revocari queat, ut potius verendum sit, quin ad majora scelera perpetranda, si modo daretur occasio & opportunitas, quod Deus clementer avertat, processura sit.

---

1. VIdes, Domine, quo loco jam sunt res Ecclesiæ tuæ, tot tantisque cladibus turbatæ, tam diuturno bello, (omnium calamitatum fabrica) vastatæ, tam multis defectionibus propemodum laceræ, & infinitis sceleratorum technis supra modum afflictæ. Ecce perspecta habemus hæc mala omnia, tibique prodimus, atque in sinum tuum effundimus.

2. Neque est quod conqueramur propterea nobis injuriam fieri, aut id dicere queamus, nos iniquo supplicio affici, quod adeo severiter a te castigamur. Levioribus enim quam pro nostrorum peccatorum merito flagris affecti sumus, &, si graviores quam antea de nobis pœnas sumeres, atque adeo plagas centuplo plures infligeres, non diffitemur nos iræ tuæ sensuros commeritam ultionem, & furorem hunc tuum in peccata nostra justissime excitatum.

3. Levis enim hæc est & blanda castigatio, plagæque elimenta, si merita nostra spectes, (quas enim plagas, quæ verbera non meremur?) Adhuc iræ tuæ fumus hæc sunt, & tormentorum præludium, nondum ignis comburens, id est acerrima commotio, nec succensi carbones, id est ultimæ partes supplicij, quanquam & hæc optimo jure fieri debere confiteamur, & reos esse nos, & talia promeritos non inficiemur.

4. Hoc

4. Hoc demum nos intime angit quod hæ miseriæ non sunt ab alia matrice quam a peccatis nostris, quorum clamor ivit cœlo, & in nosipsos vindictam poposcit. Ista, inquam, sola sunt fontes unde omnia nostra mala scaturiunt, iniquitates sevimus, & ærumnas metimus, fatemur nobis injectam manum a satellitibus justitiæ tuæ, peccata scilicet nostra justitiæ tuæ sunt συνεργοὶ, & patroni qui tua nobis judicia imprecantur.

5. Quare cædi non recusamus, & flagellis justæ & divinæ increpationis coerceri, sed in conspectu majestatis tuæ stamus confusi, non quidem ob eam crucem gravissimasque calamitates quibus hodie oppressi sumus, sed maxime ob læsam majestatem tuam, quia peccatis nostris tuam in nos iram accersivimus.

6. Agite dum, igitur, filij mei omnes, procidamus & ploremus coram Domino, & iram ejus, in genua provoluti, concussâ mente, & dejecto corde in confessione præoccupemus.

7. Agnoscimus, & ingenue profitemur indignos esse nos, qui in cœlum oculos attollamus, aut coram te nos sistamus, nec tantum debere nobis arrogare, ut exauditum a te iri preces nostras speremus, si eorum quæ offerimus rationem habeamus.

8. Urgent nos inprimis peccata nostra, & offensum te scimus, & conscientiam ipsi nos experimur & sentimus læsam. Haud levium culparum sumus conscij, nec ullum unquam seculum hoc isto pluribus vitijs restagnavit. Occurrunt nobis gravia flagitia, quæ nec volumus, nec, si velimus, possumus celare.

9. Gens sumus duræ cervicis, atque qui nullum fuivi-

ſuavitatis guſtum habemus, Nos, quos præ omni alia natione religioſiſſimos eſſe decuit, facti ſumus gens peccatrix, populus iniquitate gravis; Inundavit ſcelus, omnium ordinum homines vias ſuas corruperunt. Sacerdos juxta populuſque a te deſcivimus, ſimul inutiles facti ſumus, non eſt qui judicium & juſtitiam faciat, non eſt uſque ad unum. Plebs facta eſt cloaca, receptaculumque omnium purgamentorum. Senatores noſtri fidem noſtram inceſtarunt, dum incautam & imperitam multitudinem impulerunt in hanc defectionem tam deformem, tam portentoſam, tam ſacrilegam. Omnes ordines cæperunt eſſe colluvies omnium dedecorum & ſentinæ omnium ſcelerum, univerſis nobis nihil poſtremius, a planta pedis uſque ad verticem ſummum, nihil eſt in corpore noſtro integri, omnia vulneribus & plagis & livore plena.

10. Peccavimus graviter tuiſque ſmmis beneficijs ſupra modum fuimus ingrati, cœleſtium & terreſtrium bonorum copiâ ditati, bona noſtra parum gratis animis interpretati ſumus; facultatem nobis oblatam tibi inſerviendi contempſimus, vocatione, Evangelio, Sacramentis abuſi ſumus, violavimus legem tuam, & ſanctum Eccleſiæ corpus noſtris peccatis conſceleravimus.

11. Nos in terra optima & valle pinguedinis viximus, longæ etiam pacis affluentiâ (tam bonarum quam malarum artium mater & altrix) nos manebat. Verum ah Domine! poſtquam ſaginati ſumus, & in longa pace collocati, elatus eſt animus noſter, obliti ſumus tui & recalcitravimus. In ſummis delicijs helluamur, lapidem luxus & ſplendores conſectamur, veſteſque molles & diffluentes,

In servorum & quadrupedum greges insolescimus, in eburneis lectis lascivimus, primæque bonitatis unguentis perfundimur, ad musicorum instrumentorum sonos applaudimus, rebusque fugientibus, ut firmis ac stabilibus, addicti sumus, non autem ob *Josephi* contritionem, dolorem, aut molestiam concipimus.

12. Nostræ felicitatis impotentes bellum ultro accersivimus, internum, externum, internecivum, elementum ultimæ desperationis; monstrum quod nos membratim depascitur, animis lethale venenum, corporibus extremam luem, omnium bonorum tartareum everriculum.

13. Nos proles tuæ sumus, verum improba, filij quidem, cæterum alieni, nec, ut filios morigeros decuit, tibi obsequuti sumus, imò rebelles mandatis tuis hactenus fuimus. Toti enim defecimus, peccavimus, inique egimus, retrorsum recessimus, pedes nostros non cohibuimus, a vijs tuis sanctis deflexImus, a Deo transfugæ facti sumus, ac, velut errones, ac desertores, è sepeis timoris tui egressi, in castris bellavimus adversarij.

14. Quid non eorum quæ erant officij nostri omisimus? imo quid non commisimus in majestatem tuam? Exulet animi probitas, & conscientiæ respectus, divinique numinis metus, inhæremus peccato pertinaciter, extensó collo peccatum prædicamus, nec abscondimus, ad omnia flagitia laxavimus fræna, non fas, non jus, non æquum, non rectum coluimus; nulla non virtus nos dereliquit, nulla non vitia corripuerunt; Deo ipsi bellum fecimus, & prorsus sine omni numinis curâ, cultuque viximus.

15. Ii

15. Ii sumus qui toties te, tuaque præcepta contemptui habuimus, religionis audaculi locutores, infrequentes tamen pietatis cultores, atque adeo moribus pessimis, ac perditissimis. Primò incuriosi, post oscitare ac desidere cæpimus, deinde ingrati esse, & lethali peccatorum somno magis magisque mersari; Pietate jam pulsâ impietas insedit fastigium rerum, Religio nostra parce sordida, & in ostentationem ingenij, aut velandis moribus, aut excitandis turbis hinc inde assumpta. Cum ad te nos vocaveris, & rationem veræ pietatis proposueris, ipse, non modo frigide nos gessimus, verum ingratissimi disciplinam omnem, & vitam tui dignam abjecimus. Jus palam cessit injuriæ, & judicia facta sunt mercimonia, hujus vitæ commodis impense studentes, cultum tuum, & templi ædificationem flocci fecimus, minæ tuæ, una cum promissionibus, nihil factæ sunt, verbi tui ministerium despectui est; adoranda majestas tua & nomen sanctissimum proterve vellicatur, & impie blasphematur, Doctrina tua, quovis auro purgatissimo purior, ac pretiosior, vilipenditur, depravatur, contaminatur. Servi tui de domo tua optime meriti, ipsaque adeo dilecta tua sponsa Ecclesia contumelijs mirum in modum exagitatur. pravis moribus religio, quam profitemur, probro afficitur, vis omnis conscientiæ extinguitur, & adeo valet atheismus ut nihil reverâ sacrum aut sanctum sit quod non insania nostra profanaverit.

16. Quia securitatis, & altæ quietis dono diu satis proh dolor, abusi sumus, æquum & justum fuit, ut manum justitiæ tuæ, ac severitatis, omnia scilicet gravia & molestia ac acerbissiama experiremur. Quia

veritatem tuam non dileximus, nec charitatem exercuimus, tu spiritum erroris & acerbitatis, mutuique & feralis odij inter nos exoriri permisisti. Quia tecta pauperum non donavimus, in vincula conjectum non invisimus, ægrotantem non adivimus, hominis siti oppressi linguam aquæ frigidæ poculo non refrigeravimus, Quia horrebat invicem charitas fraterna complecti, Ecce hodie sanguinis necessitudine conjuncti in contrarias copias distrahuntur, hostiliter concurrunt, & infestis animis, obliti generis, immemores amicitiæ, mutuis vulneribus sese confodiunt.

18. Quid insuper dicemus? iniquitates nostræ montes ipsos magnitudine superant, nostræ rebelliones sunt abysso profundiores. Hæc omnia & innumera alia in te nos commisisse agnoscimus; & in oculis nostris ideo parvuli sumus & rubore suffusi. Potus noster cum fletu miscetur, & confusio ante oculos nostros, ruborque in genis nostris quoties recordamur quam graviter offendimus.

19. Nunc autem, O Deus, nostra confitendo mala merita, ad te supplices confugimus, etsi peccatis obruti sumus tuâ tamen misericordiâ freti, enixe petimus & ardentissimis votis rogamus, ut quæ stulte ac impie peccata admisimus velis nobis clementer condonare. Nos scimus te esse terribilem, & coram te stare neminem cum ira tua succensa fuerit. Quis, O pollens orbis dominator, prout par est vim, robur, magnitudinem iræ tuæ cogitat? quis meditando, aut ratiocinando consequitur, cum placet mundum punire nequitiâ inquinatum, sceleribus contaminatum? Ad nutum æstuantis oculi tui diffluunt gentes, montes liquefiunt, terra dehiscit,

cit, cœlum ut liber involvitur, natura tabescit, ad occursum fulminantis iræ tuæ linqui facis nos animo & obstupefieri ut syderatos. Verum quiesce Domine, remitte Domine, propitius esto Domine. Miserationes tuas, & clementiam tuam, & viscera misericordiæ Dei nostri, ob improbitatem nostram, & perversa consilia nobis percludimus, gregem vero tuam æterne non deseras, missâ factâ irâ tuâ ad misericordiam te conferas. Terram visus es concutere, & ejus habitatores novo & inusitato pavore dissolvere, ne nos propter iniquitates nostras in perpetuum derelinquas, plagas deinceps sequentes compesce, nec alios per supplicia nostra erudias, cum liceat nobis aliorum cruciatibus emendari.

20. A singultu nostro ne avertas aurem, clementer populi tui suspiria respice. Vides ut deprimamur peccatis, obruamur adversis, & corde & animo destituamur, tibi soli est elisos erigere, tu solus sequester noster, tu patris tui misericordiæ sponsor, iracundiam ejus interventu tuo reprime, Cordi tibi sit salus nostra, propera & adjuva. Non est mos tibi ut gemitus & lachrymas pauperum tuorum obliviscaris, miserere igitur nostri, Domine, miserere nostri, miserationem tuarum præcordia & viscera miserijs nostris commoveantur, lenitatem terrori admisce, minas spe tempera, fac nobis signum in bono, & crux tua, quæ pereuntibus stultitia creditur, in te credentibus virtus indeficiens demonstretur. Foderunt manus tuas, & pedes, & latus tuum lanceâ perforaverunt, per has rimas liceat nobis gustare quam suavis es Domine Deus noster, Interroga ultima tua, & pateant viscera per vulnera, per foramina corporis pateant nobis arcana cordis.

21. Ut bonus es, & infinite amabilis, te nobis placatum & propitium denuo exhibe, & misericordias tuas antiquas retine, more tuo non meritis nostris agas nobiscum, contine quam meremur iram, & quam precamur effunde clementiam, restitue misericordiâ tuâ benidictiones tuas quas tam prave abutentibus abstulisti, &, tuarum promissionum memor, concede, licet immerentibus, ut robustissimâ spe, ac fide confirmemur qua non infra justum dejiciamur, Effulgeat super nos favor tui vultus, splendor gratiæ tuæ nos iterum irradiet, jacentes releves, & nos, in gratiam tuam receptos, timorem tuum, cultum & veram pietatem edoceas.

22. Non est ingenij tui, licet id improbitas nostra mereatur, vel perpetuo irasci, vel in longum temporis spatium iracundiam tuam protrahere. Depone itaque iram tuam quam juste adversum nos concepisti, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, &, sicut nemo liber est a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Subveni rebus nostris extremis, ne in ira tua nos arguas, nec in furore tuo nos corripias, sed in clementia tua leniter castiges. Fac fidem hanc non esse ultionem, sed stimulum, hæc flagella non esse argumenta excandescentiæ tuæ, sed animi in nos patrij, hoc tantum pœnarum non a te infligi abalienandis nobis, nec perdendis, sed emendandis & servandis; Fac ut qui meriti sumus fieri piacula iræ tuæ, ijdem circumferamus & ostentemus gentibus exoticis miserationem & clementiam erga nos tuam, eamque jugibus gratiarum actionis, & laudum sacrificijs, in seculum celebremus.

23. Laban-

23. Labantem hujus regni molem suſtenta, ne in ſe ruat, id non ſumus neſcij quam non ſit impetrabile, priuſquam perpurges nos intime, qui contexendis tot ſceleribus provocavimus iram tuam. Ad te ergo anhelamus expediri inprimis ab illis vitijs quibus antea mergebamur, ſit plaga hæc ut virtus noſtra exploretur, non ut improbitas vindicetur; Da nobis pœnitentiam, ſacram anchoram, ſalutis portum ac refugium, indignationis tuæ moderatricem: Fac ut prudenter in hac caſtigatione nos geramus, ne, ad hanc obſtupeſcentes, majorem acceſſamus impœnitentiâ noſtrâ & obduratione, Da nobis digne flere mala quæ fecimus, premant nos peccata noſtra magis, ſaxis, quam judicia. Vigeat ea, quæ decet, morum, vitæque correctio, ne, pœnitentiam fugientes, inſanabili morbo laboremus, gratis pereamus.

24. Da præterea ut æquo & patienti animo ſinamus te in rebus noſtris agere, ut te fortiter expectemus quando contigerit ut ſalutem noſtram differas, ita ut furibundi adverſus præſentia non ſucceſceamus, ſed patienter exitum & ſucceſſum rerum, ut ſapientiæ & pietati tuæ viſum fuerit, expectemus. Cum omnia ex ſententia ac feliciter ſuccedunt vane confidimus humanis & quaſſatis arundinibus, & omnia nos poſſe viribus noſtris perficere gloriamur, nunc autem cum paululum faciem tuam a nobis avertiſti, & ſeſe calamitates præſentes obtulerunt, adeo ſumus conſternati, atque perterriti, ut vix poſſimus conſiſtere quin ſubito in cælum os vibramus, & linguæ telum in Deum conijcimus, providentiam accuſamus, juſtitiam criminamur, ferreâ fronte

in parentem mundi arietantes, & blasphemis vocibus bonitatem ejus impie lacerantes.

25. Consolaturus adesto Ecclesiæ tuæ solitâ pietate, fac ut tui suavis memoria mihi sit inter hos turbines aliquod refrigerium & solatium. Me recreet, & quasi deciduum post pluvias florem sublevet tua misericordia; innova dies meos & inter has querales, nimiosque ploratus, ac profunda cordis suspiria evehe mæstam meam & anxiam mentem super alta juga montium, ad areolos usque aromatum, & iterum colloca in loco pascui secus rivulos dulcium aquarum, ubi præpares in conspectu mensam multiplicis apparatus quæ fatigatum spiritum repascat. Exarescit spiritus, brevi tamen in te exultet, languida & flaccida est caro mea propediem germinet, Hibernam tristitiam in vernam hilaritatem transmuta, vitam nobis tantum precariam trahentibus, imò jam jam omnino animam acturis, medicam & salutarem manum admove. Ut ex desperata valetudine emergamus, ut, recollectis & redintegratis viribus, luctuque omni, quo antea contabuimus, deposito, summo bonorum omnium solatio revirescamus. Nostro luctui finem impone, ut restituto nobis lætitiæ spiritu, veluti in conjugio corruscet uxor radijs mariti, & sicut vitis palmites vitam & succum ex te trahamus, quo, tibi fidentes, lætitiâ solidâ fruamur, dum nos protegis & foves, &, instar scuti, tuâ benevolentiâ ambis. Effice nos dignos ut ad nuptias agni introducamur, quibus tandem refocillati delicijs, miseriarum obliti, levati simus super altitudinem terræ, æternum in te verâ pace quiesçamus, & in altero seculo immortales tibi laudes, & gratias referamus.

26. Veni

26. Veni interim jam veni benigniſſime Jeſu dolentis animi conſolator, Opus eſt hodie numinis tui præſidio & tutelâ, & divino clypeo. Ad te vigilant oculi noſtri, abducimur, (niſi tu ſuccurras), ad ultimum ſupplicium. Summa jam rerum agitur niſi in tanto rerum cardine præſens nobis adſis; Furunt undique venti, in Eccleſiæ tuæ perniciem incumbitur; Ah ut fervet hoc mare! ut flagrant pericula! quam certum inſtat naufragium niſi tu ſoſpites eam. In tantas ſcilicet præcipitati ſumus calamitates, quæ, niſi propitiâ manu ruentes nos ſuſtinere digneris; extremam panolethriam minitantur. Pericula in quibus verſamur humana remedia non admittant, nec uſquam eſt oratio, nec amicus, nec ſocius, nec medicus, qui morbum medicamentis pellere vel amputare queat, nec opitulator angelus, nec ſpes auxilij, niſi in te ſolo, affulget uſquam.

27. Quid me jam facere par eſt, me parvam, ac imbecillem? quis eſt qui languidas manus roboret, genuaque labantia confirmet? Ad quem, in has anguſtias redacta, fugiam? quò me convertam, aut quem implorabo? unde arbitrum, unde judicem, in tam arduo negotio, in quo tot animarum ſalus agitur, accerſam?

28. Ah, Domine, memor ego Dei & delectata ſum converſa ad te ſalva fuero, In humanis auxilijs ſpem non reponimus, ſed ijs majorem vim de cælo præſtolamur. Nos, (quibus nulla alia arma, nec muri, nec præſidia, præter ſpem in Deum, reliqua ſunt, utpote omni humano auxilio deſtitutis & truncatis) quē tandem alium aut precum auditorem aut minarum depul-

depulsorem præter te Deum imploremus? Te itaque unicum refugium expectemus, vis omnis & salus nostra in te uno absconditur, auxiliares nostræ copiæ in te uno repositæ sunt, in his difficillimis temporibus (feriatis manibus, & ablegatis terrenis omnibus auxilijs) cælitus opem postulamus. Ubi omnia horrida, acerba, trucia experimur, te unum ardentibus votis fatigamus, te unum suspiramus, cupimus, & vehementer sitimus, & tanquam ad unicam nostram salutem confugimus. Quemadmodum enim qui in naufragio versatur, ad ripam manus pariter & oculos conijceret, ita & nos te, Domine, ob oculos semper habemus, te ambabus ulnis amplexamur, sub velamento alarum tuarum speramus, ad te, inquam, qui clypeus noster es & gloria, caput & manus attollimus.

29. O fallacem hominum spem! O inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur quam portum prospicere poterant. Mira certe est meorum propinquorum surditas, mira oblivio mei, mira circa res meas incuria; Stat acer adversarius, cui insidet hæc assidua cura ut me opprimat; Statuunt apud se inimici mei non esse abs te salutem amplius sperandam, tota tamen spes salutis nostræ in te fixa manet, actum est si tu quoque me dereliqueris. Nulla certe me salus salvare poterit, nisi jam supplici tuo tu subveneris, qui in te autem confidunt vallantur & muniuntur.

30. Adsis itaque, Domine, & in promptu erit solatium. Dic animæ meæ, Salus ero tua, & me recreabis & reficies *in his* afflictionibus, esto nobis latibulum & refugium, Tantum spiritus nobis digneris suppe-

suppeditare, ut bono simus animo, & vindicem te fore populo tuo non dubitemus. Tu scis improperium meum, & tu es confugium meum, in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, & gemitus cordis mei non est absconditus, in cœlis tu resides, nihilque te latet, quod Diaboli, aut carnis impietas molitur. Tu Domine, rector cælitum es & terrenorum, ad usum tuum contorques profunda torrentis, & fluxum seculorum ordinas turbulentum. Non est alius Deus qui te vel potentiâ vel bonitate adæquat, Si pro nobis tu steteris nihil potest nobis adeo se opponere quin salvi simus. Educ nos de lacu miseriæ, & de luto fæcis, &, renidenti vultu propitiatus, digneris recipere. Cupimus, O Deus, in id incumbere ut contemplemur qualia tu edas pro tuis facinora, quò te omnes intelligant stare a nostris partibus, & destinasse tuæ Ecclesiæ perpetuum te fore adjutorem. Sic jure gaudebo, nec me pænitebit, imò gloriabor, quod tuæ fidei me totam commiserim.

.31. Ubique terribiles publici metus facies, omnia mæsta, turbida, confusa, Eia nunc ergo Domine, Domine Deus meus! Cordi tibi sit nostra salus, propera & adjuva Ab infestatione me persequentium, ab hostili cursu eorum qui me undique cingunt libera me. Usquequo Domine, usquequo peccatores gloriabuntur, populumque tuum humiliabunt & hæriditatem tuam vexabunt, iniquitatemque & loquentur, & perpetrabunt? Invigiles, quæsumus, neque amplius obdormias ne abscondatur facies tua in nostris afflictionibus, Consurge & dejectos adjuva. Num æternum te a nobis subduces? quando nos visitabis? desistesne te ipsum nobis & clementem & benignum exhibere, ut quid Domine

recessisti

recessisti longe, avertesne faciem tuam a nobis in finem? Fatemur nos indignos esse tuis auxilijs; Si ex meritis & nostrorum operum dignitate agendum esset quam procul inde simus, atque ut nostra salus sit deplorata, non autem actiones nostras spectes, quæsumus, sed causæ tuæ dignitatem, & nominis tui gloriam. Tempus etiam jam instat ut nobis faveas, ne diutius auxilium ferre cuncteris, præoccupemus faciem tuam antequam perdamur, &, si nunquam alias, nunc demum ardentibus votis tibi supplicemus; Invocantibus ergo te properanter annuas, neque enim animus est desistere a precibus & supplicationibus nostris priusquam nobis felicitaveris.

32. O Deus, fortis Jehova ultionum, O Deus ultionum exurge, terribilem te esse ostende, & coram te posse stare neminem. Inditione tua cuncta sunt posita, tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, nec est ulla creatura quæ resistere possit voluntati tuæ si decreveris salvare *Israel.* Magnifica nobis referuntur de victrici potentia tua, & quanta pro tuis edideris facinora antiquitus declarasti. Deus es omnium exercituum quem sexcenta consequuntur curruum millia, & igneæ Angelorum cohortes circumstant ad tuendos tuos, nihil armis, nihil viribus indiges humanis, festina, quæsumus, ne tardaveris, & auxilium nobis supernæ virtutis impende. In turri fortitudinis tuæ sit præmunita Ecclesia, Excita potentiam tuam, et veni, antiqua brachij tui operari miracula; benignam jacentibus manum porrige, nosque ex ipsis lethi & sepulchri faucibus potenter eripe.

33. Utinam disrumperes cælos & descenderes,

ut

ut a facie tua montes diffluerent, & sicut exustio ignis tabescerent, Utinam sonitum inimicorum vox tua subrueret, & conventum malignantium fortitudo tua dissolveret. In omnipotentia tua robur eorum conteratur, & sciant quia tu es Deus magnus, & laudabilis nimis & terribilis supra omnes Deos, ut hostibus nostris tua virtute compressis, secura tibi serviat Ecclesia. Hæc tu nullo negotio facere potes, quandoquidem vis tua illustrior est, & magnificentior omni mortalium tyrannide.

34. A potentia tua ad benevolentiæ sinum confugimus, & è fonte æterni amoris tui vim omnem & opem haurire desideramus. Ecce enim nos populus tuus sumus, & virga hæreditatis tuæ, tu pater noster nos nihil aliud nisi terra & lutum, tu creator noster, nos tuarum manuum opera, tu nobis pastor es, nos tibi ovile sumus, tu redemptor noster, nos hæreditas tua. Nomen tuum invocari super nos, tuamque nos tesseram gestare voluisti, præstantiore nos fœdere dignatus es, quo apud te niti possimus, eo nimirum quod pepegisti in *Jesu Christi* salvatoris nostri dextera, quodque sanguine ejus scribi, & ejusdem morte obsignari voluisti, Nobis ipsis itaque renunciantes, omnique spe aliâ valere jussâ, ad faustum hoc fœdus confugimus. In finem seculo nobiscum esse veridico ore pollicitus es, Testamentum tuum ne dissipes, in tribulatione plebem tuam ne repellas, nec in pressuris hæreditatem propriam derelinquas. Ne patiaris tam delicatam, & electam vineam turpiter & miserè suc-

ſuccidi, inflammari, & eradicari, ne ſinas Eccleſiam proprijs tuis manibus cultam, & mirâ providentiâ plantatam, ne ſinas, inquam, a fera impietate conculcari, & devaſtari, ita, tuâ benevolentiâ bene freti, non metuamus hoſtium tui nominis infinitas myriadas.

35. Tu, Domine Deus, ſcelerum es vindex juſtiſſimus, ſpectes nominis tui gloriam & dignitatem, ſpectes Evangelij propagationem & promiſſorum tuorum fidem. Exurge tandem, ne impietas, & injuſtitia in nos prævaleant, & ne tuæ bonitati ſimul & juſtitiæ obloquantur, Reſpice adverſarios noſtros, imò tuos, ut non modo nos, ſed & teipſum eâdem operâ ulciſcaris. Ubi eſt zelus tuus, & fortitudo tua? Ubi eſt vis numinis ultrix, mortalium res inſpectans, eoſque qui ſcelerate aliquid admittunt puniens? Attende de cœlo, & vide de habitaculo tuo, & ſolio gloriæ tuæ, ne contine iram tuam, ſed indignationem tuam proſilire facias ad impiorum malitiam conterendam.

36. Veni, Domine Jeſu, & viſita nos in pace, indignam Eccleſiæ tuæ vicem bonitate tuâ reſpicias. Et providentiam tuam exerere digneris, in calamitoſum hujus regni ac populi ſtatum ad bellum hoc funeſtiſſimum commodâ pace avertendum. Ecce jactamur ac penè mergimur fluctibus armorum ſimul & errorum, avertas, quæſo, O Deus, benignitate tuâ, regni hujus & eccleſiæ caſum qui ex his motibus imminet.

37. Tibi facillimum eſt gladios, arcus, bellicas machinas, omneſque Diaboli verſutias, ne dum verbo potentiſſimo, ſed vel nutu, vel ipſâ voluntate, diſſolvere. Exurge itaque & protege cauſam

tuam,

tuam, amoveas hinc bella, funesta hæc arma poni jube. Lanceos, equos, currus, & omnia armorum genera abs te hebetentur. Pacem quam nobis peccata nostra ademerunt, ineffabili tuâ misericordiâ nobis restitue, restitutam serva, & in æternum firmam præsta. Dissipatis jam ac divulsis viribus, languidis ac prope depositis rebus omnibus vitam redde. Flammæ huic belli, quâ conflagramus, aquam superinjice. Dirum illud, quo domus Dei deflagrat, sopias incendium, & ruinæ imminenti opportunâ defensione obvium eas.

38. Ecclesiam tuam tibi desponsatam, a te coactam collige dispersam, reintegra scissam, fidem ejus sartam tectam conserva, quæ jam in abrupto & præcipiti est, tuo præsidio recree & instaura. Facessant jurgia, quiescant lites in animis hominum, radices agat sobria & salutaris doctrina. Ne sinas Ecclesiam tuam fabulam esse vicinis & hostibus, nec iis permittas dejectam eam & injuriis patentem lacessere, effice, quæso, ut adversariorum linguæ obmutescant, ijque qui bellum nobis indixerunt nihil amplius turbatum nobis facessant. Redde populum tuum securum inter seculi turbines tam diu constitutum, ut post tristissimas hæreseôn molestias, quas hactenus subivimus, aliquando libere respiremus. Et, a tempestatum, decumanorumque adversitatis fluctuum jactatione quiescentes, jactatis, & extra pomæria nostra ejectis jurgijs, & spinosis quæstionibus, pax gratissima reflorescat, ut violatæ religionis metus ab hinc procul absit, &, omni trepidatione nauseâque cessante, optimo in statu positi, jucundissimoque serenioris auræ ac securitatis afflatu perfruentes, tranquillum in portum subducti, spiritu

ſpiritu iterum animoque geſtiamus, & devotâ tibi mente inſerviamus.

39. Gemere cogimur ſolutam jam eſſe a nobis omnem diſciplinam. Maxima pars hominum, effrœnis illius licentiæ memor, qua nuper impune contra Deum laſciviebat, jugo iterum Chriſti aſſueſcere non poteſt. Fatemur ſchiſmatis, diſſidijs, hæreſibus, Chriſtiani nominis divulſam eſſe, & laceratam unitatem, Eccleſiam tuam non modo inutiles controverſias ſcholaſticas, ſed & odia internecina indies lancinare, & veritatem tuam tot litigationibus implicatam, tot opinionibus debilitatam ut aperta & libera ante oculos conſiſtere non poſſit ad veræ pietatis lumen. Jam tandem evaneſcant ſcandala, ſurgentes ſuccidantur ſpinæ, ſedentur querelæ, ſolvantur, finianturque de fide & diſciplina emergentes quæſtiones. Quod tuum eſt, ſolus Eccleſiam tuam potenti dextera redime & ab inquinamentis, quibus hodie miſere fœdata eſt, purga, Reduc eam in veritatis ſemitam, & a fruticantibus hæreſium lolijs eam diligenter expurga, Inſurgentium errorum impetus frange, nec ſinas eam amplius ijs corrumpi, & indecoris in te colendo ritibus deformari. Tu qui verbo tuo tenebras depuliſti, cœlum tornaviſti, terram firmaſti, eodem verbo, ſolutâ præſenti errorum caligine, priſtinum nobis diem reſtitue? atque omnia in lucem & ordinem antiquum, eundemque concentum reduc. Sponſam tuam ne ſinas perpetuis diſſidijs peſſum ire, digere hoc chaos, Domine Jeſu, expandat ſe ſpiritus tuus ſuper has aquas male fluctuantium dogmatum, Eccleſiæ tuæ, unà cum ordine, redeat priſtina tum dignitas, tum tranquillitas, Abole odia, extingue fœda certa-

certamina eademque impietatis flamina & matrices turbarum. Da ut dein unanimes unum te spiremus, unum uniter sentiamus, sectemur simplicitatem veritatis comitem, & simultates omnes & discordiæ, (pestes & labes ecclesiæ) pellantur in terras ultimas, & loca tenebrosa.

40. Veritatem vindica ab errore, & vertigine quæ populum tuum, populiq; pastores hactenus occupavit. Lupos arce, ne, in caulem irrumpentes, aperto ore oves dilacerent, &, caligne nostrâ observatâ, intempestivam noctem captantes rapaci & violentâ doctrinâ gregem diripiant. Fac ut hæreticorum & schismaticorum ora conticescant, &, si eorundem corda in insania perversi sensus ebulliant, prava tamen quæ sentiunt eloqui non præsumant. Evelle dentes pestilentibus his viperis, ut nihil vel afflatu nocere possint, & ut toto corpore valeamus.

41. Fac tandem ut Ecclesiæ membra, quæ nunc sejuncta & divisa videntur, in concordiam, & unum quasi corpus, imò in cor unum coalescant, coeant, & firmiter compingantur, fac ut omnium dissentionum fibræ ab ipsis radicibus extirpentur, ut, rem omnium tibi gratissimam, charitatem promoveamus, & unanimi, & orthodoxo consensu tibi uni serviamus, uno corde te colamus & celebremus.

42. Divinæ ædi nitorem restitue, fac eam formâ virtutum, specie sanctitatis elegantem; Purum Dei cultum, ab omni scoria ac rubigine expurgatum instaura, ut priscis & avitis legibus, & (quantum his moribus & temporibus fieri potest) antiqua disciplina (quam Apostoli tradiderunt, otium autem & pax longa & bella

etiam nupera, heu nimis, corruperant) redintegretur & conservetur. Morbis Ecclesiæ, per aliquot jam secula sub novatorum oppressione assidue gementis, & ad pristinam disciplinam tam diu relaxatam, revocari gestientis, tandem aliquando medicam manum clementer admovere digneris. Ne deformetur amplius mutilata, et illo regimine, quod ab Apostolis derivatum purissima tempora conservarunt, orbetur, sed quo pluribus præsidijs nititur improbitas ad illud excutiendum, hoc arctius, contentiusque legitimæ legum habenæ constringantur, ut, ad primitivæ Ecclesiæ formam reformata, secundum doctrinæ traditæ puritatem corruptelas suis redarguat, vitam, moresque omnes instituat, & sinceri cultus divini piam curam omnibus inculcet, & approbet. Concede, quæso Domine, cætus habere piorum legitime coactos ad laudes tuas promovendas, doctrinam sacram audiendam, & sacramenta rite percipienda, ut res divinæ, quæ in præsentia densæ sunt involutæ caligini, pristino nitori restituantur. Ut religio redintegrata feliciter iterum reflorescat. Ut fides catholica rursus statuminetur, & fulciatur, ut lucis denique & veritatis tuæ facti participes, in sacris cætibus, debitâ cum reverentiâ & devotione te colamus, & demum depositâ terrenâ hac habitatione ad sacra æternæ vitæ habitacula deducamur.

43. Interim ne finas eam fraudari unione & ordine. Piorum Dei servorum ab atrocibus calumnijs famam vindicâ, Lugentibus sanctis gaudium redde, bonos dolore, omnes metu libera. Concede ut artes bonæ, & sanæ doctrinæ propemodum extinctæ feliciter revirescant. Illos insuper qui rebus sacris

sacris operam dant & dignos censuisti ut altaribus tuis admoverentur, favore tuo & paterno aspectu dignos censeas summe reverendos Archiepiscopos, reverendos Episcopos, & reliquos Ecclesiarum pastores. Hos omnes ad sua signa & stationes revoca, & sacerdotio, ob pietatem & sanctitatem, honor pristinus restituatur. Lucernas istas purioris doctrinæ, quas in indignatione tua a nobis removeras, rursus accende, & candelabris suis iterum impone; Fac eos prudentiâ ac gravitate venerabiles, sermone efficaces, vita inculpatos ut & dogmatum & actionum ab omni caligine liberatum splendorem Ecclesiæ tuæ, fulgetræ instar, afferant, quò nimirum plebs tua ad vivifici tui verbi fulgentes radios viam suam dirigat, teque patrem luminum, & omnium bonorum datorem largissimum jugi laudum encomio deprædicet.

44. Templa tua diruta instaura, fædata expia, reditus Ecclesiæ dissipatos reddi cures, nec aliqua sui corporis portione eam temerari sinas. Ne quid grex tuus detrimenti sustineat, nec fiant ejus proventus seculari invidiæ obnoxij. Sancta ne dentur porcis, circumeant potius civitatem, fremant ut canis, & murmurent si non fuerint saturati. Sacras offas & frustula quæ devorarunt nunquam detur illis, aut eorum posteris decoquere. A male partis divitijs, & florentibus opibus abstrahantur. Quæ nullo jure occupant, & per summum nefas dilapidant fac potenti manu tua ut tandem restituant. *Vindemia* eos sicut vindemiarunt me, marsupia eorum exentera, & spongias preme regni & Ecclesiæ succo turgidas. Fiant hæc illis, sicut vinea Nabaoth Achabo, fel in ore, putredo nomini, tinea fami-

liis, & conscientiarum aculeus.

45. Serenissimum Dominum nostrum *Carolum M. Britanniæ Franciæ* & *Hiberniæ* regem, fidei defensorem & per has suas ditiones, in omni statu atq; ordine e, sive ecclesiastico, sive politico moderatorem summum & supremum, benigne quæsumus protegere digneris. Colloca eum in arce rerum, Domine, sis ei tutela præsens, & omnibus firmamentis eum muni, ut pupillam oculi tui custodi eum & extra discrimen & omnes molestias constitue. Et si fotre favilla hæc dissentionis in incendium iterum erumpere nitatur, potenti dexterâ erumpentes flammas compesce, & repullulantia præteriti furoris germina mature protere. Injice fræna evaganti licentiæ, nec permittas unquam ut scelerata sanguinariorum manus unctum tuum attingat, capitisve illius vel minimum capillum lædat. Fac, Domine, ut adversus eum nemo dehinc subditorum suorum malè sit animatus, fac ut universi ad officium suum coaleant, & legitima imperia alacres ferre discant. Ut qui unico malo, id est fæda ac discordi rebellione prostrati, jacuerunt, unico remedio, id est concordi obsequio restituantur. Fac ut Regem nostrum malitiâ seculi regno suo indigne exturbatum aliquando reducem læti in conspectu & amplexu patriæ recipiamus; Et, cum ad conservationem reipub. Christianæ & gentis universæ publicam salutem pertineat (præsertim sævâ hac desæviente tempestate) tanti animi tantæq; pietatis regem superstitem esse & in nostra specula excubare, Concede quæsumus O Deus ut diutissime laborantis hujus regni clavum teneat, & feliciter moderetur.

retur. Fiat hinc initium seculo lætiori, & rebus felicioribus, reviresćat in nobis inviolabilis observantia & obsequium erga regem, ut mereamur participes fieri bonitatis & clementiæ illius. Floreat impoſterum ſumma inter Regem & ſubditos concordia, quæ altam producat ſecuritatem quam nulla dehinc injuria limet, nulla miſeria delibet. Floreat ubiq; alma pax quæ cultrix eſt pietatis, & genetrix timoris tui. Hæc ipſa detergat gladiis cruorem, hos conflet in vomeres, & impias lances in falces perpetuas. Quicquid inſania belli diſſipavit feliciter iſta reintegret. Præterita mala perpetuâ oblivione proterat, &, quicquid bonorum ſuo ſinu condit, larga manu in omnes effundat. Hæc vaſtatas bello urbes priſtino reſtituat decori, ſqualidos & deſertos agros debitæ culturæ, convulſas familias ſuæ integritati. Hæc, inquam, reddat conculcatis ſub tyrannide legibus ſuam reverentiam, magiſtratibus debitam authoritatem, ſacerdotibus vitæ & doctrinæ ſanctimoniam, patribus familias obſervantiam, liberis parentibus debitam pietatem famulis fidelitatem, univerſis (qui nimis diu proh dolor poſthabitus eſt) ſincerum tui cultum.

46. Preces porro fundimus pro Parliamento ex ſummis ordinibus & communibus reſtaurato. Tu O ſumme divinarum humanarumq; rerum arbiter Deus digneris quæſumus, præſidere in conſilio hoc tuâ juſtitiâ & judicio. Suppedita conſilia quæ utiliſſima futura ſunt medendis hiſce difficultatibus noſtris ſub quibus jam laboramus & gemimus. Novimus & experti ſumus, Domine, prudentiã, ſpemq; coſiliorũ in omnibus ſine tuis auſpiciis fragilem eſſe & fallacem.

Corda itaque eorum tu, Domine, sic afficias, & oculos intellectus aperias ut consilia solum reipub. salutaria, tibi grata & accepta, Regi salutaria, regno universo tuta, & Ecclesiæ Christianæ utilia complectantur. Fac, rogamus, ut eorum singuli, in hac imminenti reipub. statione positi, privatam personam in limine exuant, publicam autem, quæ pro communi omnium bono excubias agat, induant. Inspira ipsorum cordibus sanctos motus ut tuæ gloriæ & populi saluti consulant, & nefarios eorum qui reipublicæ insidiantur egregie dissipent. Fac ut in summo hoc loco positi, quasi in altissima specula constituti, Omnium saluti, & publicæ incolumitati prospiciant. Tolle semina simultatum & odiorum, ut munere ipsis a te delegato fideliter defungentes, & in veritate tua unanimes unum semper dicent & faciant; Fac ut ea libertate, quæ par est, in ferendo suffragio utantur, eâque authoritate, & gravitate, & suaviloquentiâ, in explicandis, & firmandis sententiæ rationibus, ut omnia ad publicum tendant bonum. Affice zelo domus tuæ corda eorum, ut justitiam, injuriâ seculi & male feriatorum hominum, quibus scelera cordi erant, valde infirmatam & fractam & extremum fere spiritum agentem, confirment, & pleno robori restituant, utque promovendis Ecclesiæ Christianæ commodis unice studeant, ac serio quærant quæ ad pacem *Jerusalem* constituendam & firmandam spectant, & charitatis zelo succensi, ingenium omne omniaque consilia ad tollenda Ecclesiæ schismata & restaurandum sincerum Dei cultum intendant.

47. Flecte Domine corda eorum qui in publicam perniciem conjurarunt, eorumque oculos aperi

&

& obstinatam animi duritiem mitiga & summum hoc regni consilium tuo afflatu ita dirige, ut quod pietas, quod subditorum fides, quod imitatio Jesu, quod Ecclesiæ vastatio, regni desolatio & recens pijssimi nostri Regis cædes exigunt serio perficiant, ut posteribus saltem consilijs, quoniam in prioribus enormiter peccatum est, tranquillitatem publicam respicientes, curam habeant summam, ne sceleratis reipublicæ inimicis in posterum liceat aggredi, quæ, non ita pridem, non modo scelestissime tentarunt, sed & perpetrarunt. Redeant tandem ad debita officia, & legum observantiam, a qua hactenus longissime deviarunt, ut novæ obedientiæ ac fidelitatis tandem argumentis a se editis contractam errandi ignominiam penitus deleant. Quod si ne tuis quidem monitis cedent, si a perniciosissimis consilijs deduci non poterunt. Si sanguine civili manus commaculare, si nostras miserias conduplicare pergant, si crudeles fauces, sanguine pollutæ, non queant mansuescere, si pergant devorare plebem tuam ut cibum panis, Exurge tunc Domine vindex tuus nosterque, aufer illis mentem sævam & minitantem, impetumque eorum & violentiam coerce, ut quas in publicam perniciem struxerunt machinationes, nunquam in actum deducere valeant. Sed in medio eos malitiæ cursu sufflamina, neque laxis amplius habenis in nos grassari permitte: Frustrentur exitu suo impia eorum consilia, & disperdantur vires. Conatus eorum comprime, Cuniculos detege, clandestinos cætus frange, dissipa retia, imple foveas; dolos, quos adversus nos intendunt, redde inefficaces, nec sinas eos Ecclesiam tuam, tot annis jam dejectam, & in-

 jurijs

jurijs opportunam, amplius lacessere. Hac in re, licet strenua ab illis opera sit navata, fac ut frustra sudent, derideas eorum consilia, cassa reddas incæpta, sine eos, qui bellum adversus te gerunt, nugari & ineptire, & diducto rictu hiare ut canes frustra oblatrantes, *Pugnas* semper faciant calcarias, dissipentur scilicet, & agantur in fugam, qui tuum nomen, & regnum odio prosequuntur. Dissolve perversarum mentium conciliabula & colligationis impiæ confringe catenam, Malis suis artibus dolisque pereant, & proprijs capiantur retibus, Dentes eorum confringas, Deus, & demoliaris, ut aqua diffluant, sint velut sagittæ confractæ ne plus fidelibus tuis noceant, atque ut limax quæ in sua testa contabuit, Debilitentur ut fætus immaturi, & demum defervescat eorum impetus, quemadmodum è stipulis concitata flamma facile restinguitur. Erige brachium tuum O Deus, sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua. Causam tuam sic protegas, O *Jehovah* vindex noster, ut eam tibi cordi esse vel ipsi, a quibus tantâ audaciâ oppugnatur, suâ confusione, & infamiâ agnoscant. Cadat virtus eorum in iracundia tua, qui audent violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & dejicere gladio suo cornu altaris tui. Terrorem ijs incute, ut intelligant quid sit pietatem & religionem adoriri. Fac ut ipsi te iratum sentiant, ac furore indignationis tuæ exterreantur, ita ut Ecclesiam tuam delere non valeant. Confundantur qui dilectos tuos prosequuntur, & proprio gladio eorum superbia amputetur, dele omnes improbos, ut nomen quoq; eorum sit prorsus abolitũ, aut inustam sempiternæ ignominiæ notam gerat. *Pudefiant* & consternantur quotquot

gloriæ

gloriæ tuæ & saluti nostræ adversantur. Obmutescant labia mendacia, impudentium blasphematorum ora obtura. Ne tradas sceptrum regni in Ecclesia tui his indignis ne rideant ad ruinam nostram, pudor potius illos plectat, & pij, a te in libertatem asserti, doceant superbos & violentos modeste agere, cum perspectum fuerit te Ecclesiam tuam vigilantissime curare.

48. Et cum aliter fieri non possit ut res nostræ plenâ tranquillitate fruantur, nisi obices prius, qui obviam felicitatem avertunt, summoveantur. Respice, quæso, Domine, ne sileas, neque mitigeris O Deus, haud inultas injurias tuas ire sinas; In æternum regnes scelerum vindex justissime, & semper tribunal paratum habeas ad illas regni & Ecclesiæ pestes exterminandas. Veritatem Evangelicam ne permittas ab hostibus tuis impune lacessi. Secundas res & diuturnam impunitatem hactenus viderunt, fac ut imposterum intelligant hoc te ideo permisisse, ut repentinâ insperatâq; mutatione rerum magis doleant, & ut post felicitatis umbram, in meras & solidas calamitates easq; duraturas incurrant. Fac ut sciant nunquam illis posse inimicos deesse qui Dei Christiq; ejus sunt perduelles, aut diu arma intentaturos, aut perniciem effugituros, qui sic manu superbâ contra te & clarissima propriæ conscientiæ testimonia perseveranter pugnarunt.

49. Plebis autem tuæ miserere Domine, hanc pietate tuâ sublevare digneris ne male pereat in peccatis suis. Non enim quod innocentiæ ejus patrocinium, sed potius ut resipiscentiam ei benigne concedere velis supplices arguimus; Si hactenus, improborum hominum technis fuerit decepta, eorumque

rumque

eorumque fraude pellecta, & mentitæ libertatis spe ad rebellionem inducta, at non semper proterve erit obstinata, sed abstersis errorum nebulis, & depulsis opinionum monstris, pudet pœnitetque eam vitæ anteactæ, & ad te reverti cupit, & ad vices tuas in terris gerentem Regem, suamque fidem & pristinam obedientiam iterum præstare parata est. Vult condonari, vult salvari, tu idem velis & clementer annuas, Hæc est verbena ejus, in hunc modum vittata, & caduceata audet gratiam tuam & pacem exposcere. Jube eam salvam esse, quod nisi benigne concedas plane perijt. Redi ergo in gratiam cum populo tuo, O Deus, quem pœnitet offensæ in te commissæ, Corrobora fractos eorum animos qui a vijs tuis recesserunt; Effice eos, in posterum, cives bonos, reipub. utiles, & religionis amantes. Reduc eos tecum in concordiam, fac ut universi ad officium coaleant. Gubernatoribus suis honorem & reverentiam debitam deferant & justa Regis imperia ferre discant.

50. Porro recipe in gratiam animas eorum qui, inimicorum fraude diu decepti, a regiæ veritatis via aberrarunt. Pelle errorum nebulas quibus involutæ sunt multorum mentes, & jam tandem Vendica eas tibi vendica ne ab omni vento affectionum & doctrinarum, ut levis pulvisculus, & inanes quisquiliæ post hac circumferantur. Deme ipsis pertinaciam, & probitatis odium, & clementer concede ut omni pravitate depositâ, vere resipiscant, & ad veritatis agnitionem & unionem redeant. Aufer squamas caliginis antiquæ radio tuæ illuminationis, sana eorum oculos ut sanis oculis & tuo lumine irradiati veritatem tuam contemplentur, quam non nisi

nisi sani oculi intueri queant. Fac ut ingenue agnoscant pœnitentiam sincerem summam esse prudentiam, summamque esse victoriam triumphare de errore deposito. Dissipatos in unum recollige, vulneratos sana, lapsos erige, & confirma, flecte & emolli dura corda, Omnes ob erroribus suis sic erue, ut ad sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ gremium & communionem denuo revocentur, in eaque tibi serviant puro corde purisque mentibus, ac manibus ad te levatis, in vijs statutorum tuorum jugiter ambulent, teque datorem omnium bonorum, consolatorem afflictorum, Defensorem oppressorum potentissimum, Patrem misericordiæ & totius consolationis æternis laudum præconijs extollant, tuoque sancto nomini pro benigna defensione, & ab inimicis, liberatione, nullis seculis terminanda canant, σωτήρια.

51. Cæterum ab his seditiosorum antesignanis qui perversitate sua publicam ruperunt quietem, qui omnia divina & humana miscuerunt ut suæ libidini fræna laxarent, jusque ac fas omne pedibus conculcarent, quorum superbiæ tam viles fuerunt animæ nostræ, ab his, inquam, nulla laurus fulmen tuum arceat, sed ira tua sit collecta abundantissime quasi rupto aggere, vim furoris tui in impia capita effusura. Verba tua tonitrua sunt, minæ fulmina, tela mors, & accessus ad puniendum ruina, & desolatio. Respice tandem Domine ne retardes, nec iram tuam diutius contineas prosilire cupientem ad impiorum malitiam conterendam. Undique se exerat victrix tua justitia, rutilante ferro stratis sceleratorum cadaveribus, & justæ iracundiæ fulmine ictis. Nec vulgari eos perdas, verum tali supplicio quo

quo gentes omnes intelligant te verum, & vindicem esse Deum, nec cuiquam flagitioso scelus suum impune abire posse. Præbeant scelerati hi futuris seculis exemplum justitiæ tuæ ad cujus mentionem scelera eorum exhorrescat longa infinita posteritas. Tu, Domine, in manu tua tenes calicem, exugant illi & ebibant fæces, poculum amarissimæ iræ tuæ siccare eos cogas. Subito deficiant, & pereant a facie tua, pœnas dent fædifragis & pejuris debitas. In profundam exitij voraginem præcipites eant, dispereant ut naves in medio mari, sæpe conterantur magno fragore a ventis improviso excitatis, Tanquam pulvis quem turbo abstraxit, tanquam lanugo quæ a ventis disjicitur, tanquam ros matutinus, tanquam stridor emissæ sagittæ, tanquam tonitrui impetus, tanquam fulgor emicans. Sic pereant.

52. Et cum summis difficultatibus undique jam laboret res Christiana, & fatalis quædam bellorum lues totum orbem Christianum per tot jam annos pervagetur, supplices te denique rogamus, *Domine, Deus exercituum*, ut Principum etiam exterorum corda inflectere digneris, ut odia & simultates tandem deponant, &, ne quid ulterius Christiani sanguinis fundatur, concordibus animis firmissimam ineant societatem, ut Christianæ reipub. in maximum & propinquum jam adductæ discrimen, communibus studijs & subsidijs opitulari queant. O utinam expergiscantur jam tandem, & conjunctis viribus hostem Christiani nominis communem adoriantur, nec ulterius, circa res nihili contendentes, & sese mutuis armis conterentes, crucis Christi crudelissimum inimicum grassari

grassari sinant, sed pulverulenti & colorati contra hæreses & impietatem virili & forti animo insurgant, & eluctentur, ad Ecclesiarum unionem eo felicius perficiendam, & ad veræ religionis terminos eò latius proferendos.

Sic exoptatus omnium votis dies veniet, & post longæ noctis terribilem tetramq; caliginem, domini luce irradiatus mundus plenius illuminabitur. Sic religio demptis dissidiorum spinis, in integrum restituta, & Ecclesia tua maximis superiorum temporum periculis erepta, in solido & tranquillo erit posita. Ita remotis heterodoxarum opinionum zizanijs, & exclusâ, hinc conscientiarum tyrannide, illinc quidvis disseminandi libertate, dominandi libidine, & rebellandi feritate depositâ pax iterum in animis omnium radices aget firmissimas. Et vel invitis inferorum portis, tandem triumphabit veritas, & pulsis, fugatisque odijs, & sopitis dissidentium animorum ignibus, fraterna redibit charitas, & veritas iterum sibi mutuo occurrere, seque invicem osculari Conspicientur. Ita fides Catholica statuminabitur, & fulcietur, & hæresis omnis se sentiet letaliter vulneratam. Sic, inquam, in templis, tanquam in publicis veritatis theatris, sacrosancta scripturæ oracula iterum libere sonabunt, & genuinâ interpretatione cuivis patebunt. Ita pietas jus suum, cujus armorum nimia licentia jacturam fecit, in conscientias repetat. Ita plebs tua, post gravissimas ærumnas, diversis studijs depositis, mansuetudine invicem coalescet, & in sacra tua; & salvifica veritate, sine fuco, sine fraude instituetur, ut in te Domine recte & pie credere, te unice amare & timere, tibi soli totâ mente

&

& totis viribus obsequi discat. Ita Ecclesia tua quam in hoc regno collegisti, stans velut scopulus in mare imminens, tempestatis insultus despiciens & undarum insultantium violentiam in spumam commutans, solitâ pulchritudine insignis prodibit, fororum suarum omnium speciosissima. Ut enim solet discussis imbribus redire pristinus ætheri nitor, sic magnis certaminibus & ærumnis exantlatis, & fletu detumescente, nova tranquillitas roseum colorem in genas revocabit, quem nuper pallor, mæstitiæ comes, expulerat. Sic, memor gratiæ quam mihi fecit Dominus, qui me in omni afflictione consolatus est, & ex ipsis leti & sepulchri faucibus exipuit, a lugubri ad triumphalem cantum sese convertet oratio, cum his quæ cernimus hilarescet, ad spiritualem choream omnes vocabit, & ad panegyrismum gestiet. Hinc ingens mihi surget argumentum laudum tuarum, & perennem nomini tuo gloriam dabit universus populus Anglicanus. Lætabimur, & gratulabimur nobis invicem a tanto vindice restituti, atque, quò res nostra incertior & agitatior fuerat, eò tunc erit lætitia nostra cumulatior, &, quacunque ratione poterimus, vultu, gestu, oris, orationisque hilaritate lætitiæ magnitudinem propalabit unusquisque. Ab ortu solis usque ad occiduum diem, & dum sydera nocturna excubant, usque ad albescentem auroram, laudem tuam annunciabimus. Te hoc seculum, te successura nobis posteritas tot beneficiorum authorem agnoscet, quicquid complexu cœli, quicquid ambitu terræ continetur, quantum Anglorum, quantum est hominum citabo testes, spectatores & admiratores bonitatis in me tuæ, tuorumque beneficiorum omnium quibus me

benignitas tua præ cæteris tam liberaliter cumulavit.

Faxit hæc, Deus, pacis auctor & conservator clementissimus, propter filium suum, pacis nostræ, apud Patrem, unicum sequestrum, *Jesum Christum* Dominm nostrum. *Amen.*

FINIS.
